ANTONII SANDERI
PRESBYTERI
S. T. LICENTIATI
DE SCRIPTORIBVS FLANDRIÆ
Libri Tres.

AD
Illuſtres eiuſdem Prouinciæ
ORDINES.

NAPOLI



ANTVERPIÆ,
APVD GVLIELMVM A TONGRIS.
M. DC. XXIV.

REVERENDISSIMIS
AMPLISSIMIS AC ILLVSTRISSIMIS

FLANDRIÆ
ORDINIBVS

ANTONIVS SANDERVS
PRESBYTER

D.D.

ANTEQVAM SANCTOS DONEM, quos aut Flandria protulit, aut ſuſcepit, quos poſt non neglectim habitum eius rei ſcrutinium inuenire potui, Viros hoſce doctrinâ claros, ac Liberalium artium diſciplinis celebres, quibus ipſa, ne quid ad omnem laudē illi Prouinciæ deeſſe videatur, vt radiantibus ſtellarum faculis cœlum, per vniuerſum pænè orbem coruſcat, nunc euulgo. Primum maximumq́ue Patriæ ornamentum à iuſtitia & ſanctitate, alterum à doctrinæ præſtantia, & ingeniorum vbertate naſci, barbari etiam indoctique fatentur. De

copia Scriptorum nihil hîc dico, plures tamen ab hoc non ita producto Europæ angulo, quàm è vaſtiſſimis & ad immenſos fines diſtentis aliorum regnis prodiiſſe videmus, qui Catalogos, Bibliothecas, ac variarum gentium hiſtorias euoluimus. Brugenſes tamen, ac Gandauenſes hoc comprehenſos libro nolui; eos enim ſeorſim, & particularibus libris ſcriptos edere ſententia fuit, tum ob ingentem ex vrbibus illis eruditorum numerum, tum ob eximiam earum inter Oppida Flandriæ dignitatē. Neque me terruit, ab aliis magnâ etiam diligentiâ & ſolerte ſtudio hoc argumentum tractatū eſſe, & non ſolius huius Prouinciæ, ſed vniuerſi etiam Belgij Bibliothecam nuper ab erudito & præſtante viro Valerio Andrea IC. & Sacrarum apud Grudios litterarum Profeſſore, in lucem prolatam; quia quos alij non habent, non paucos, & eorum præcellentium aliquot vitas hîc Lector inueniet; de ijs etiam, quos illi non omiſerunt, plura, & alio modo ſcripta. Eos itaque ſuſcipite AMPLISSIMI ORDINES, & quos olim nondū mortalibus induuijs exutos, benignè habuiſtis, nunc vitâ functos pleroſque, & non aliud à vobis quàm huius

huius ſcripti tutelam poſtulantes, eàdem benignitate, quâ Ciuium veſtrorum omnia conſueuiſtis, vt optimi Patriæ Patres fouete, ac me tum veſtris particulatim, tum Flandriæ veſtræ obſequijs penitus deuotum amate. Gandaui Kal. Martij M. DC. XXIV.

Ita iudico Flandria, ſic ſemper in tuis humaniores literas atque liberales ſcientias viguiſſe, vt quo tempore vniuerſũ etiam orbem barbaries quædam inuaſerat, minimè tamen omnium ceſſerint vnquam tui, & inter primos artes huiuſmodi in priſtinum ſuum honorẽ reuocarint. Quid enim? nónne à primis Arnulphi Magni temporibus, cui Latinam linguam probè cognitam & vſitatam fuiſſe conſtat, ad hanc vſque ætatẽ doctrinâ celeberrimos Viros in Flandria reperire fuit? & Sacros quidem Scriptores ac Religioſos, religioni relinquo: alios verò & Hiſtoricos præſertim, & Rythmicos Poëtas quot fuiſſe adhuc ſcripta domeſtica teſtantur?

Auctor Iudicij Panegyrici Quadrimembris Flandriæ.

FLANDRIÆ ENCOMIVM AD PERILLVSTREM VIRVM CAROLVM IDEGHEMIVM BARONEM BVSBEQVIVM IPRENSIVM PRÆTOREM.

ACri quiſquis ades lumine diſſita
Terrarum ſpatijs adſpice climata,
Seu quà purpureo crine nitens venit
Primùm Mygdoniâ domo.
Seu quà puniceas deciduus comas
Titan Heſperio perluitur mari,
Aruis Flandriadum fertilibus parem
Vix vllam inuenies plagam.
Illinc verte oculos quà tepet humidus
Auſter, ſeu rigidis dura Aquilonibus
Quà pontum glacies claudit, & aſperam
Longa nox hyemem gemit.
Dices, Multa aliis dat Superûm fauor
Ornamenta locis: Flandriadum decus
At felix vario munere Cælitum
Terris eminet omnibus.

Illic

Illic vberior pullulat aureis
Campis flaua Ceres, pandit & altera
Tellus Luxuriem frugibus alteris
Ac mortale beat genus.
Miratur validus Ruricolum labor
Conſtipata nouis horrea meſſibus,
Miratur varijs commoda & vſibus
Lini germina prodigi.
Hic Pomona ſuas diuite copiâ
Felix ſpargit opes, hic nemora, & nigra
Hic Spelæa vides inuida Mænalo,
Denſiſque Arcadiæ iugis.
Has & fulmineis dentibus horrida
Sus terret latebras, hic celer hinnulis
Feruor ſollicitis curſibus igneos
Exercet iuuenum choros.
Illic læta vigent paſcua & incubi
Caris graminibus prata terunt boues,
Hic vaccæ teneræ de tumido liquor
Manat lacteus vbere.
Illic per faciles grex ouium vagus
Herbas innocuos aure bibit modos
Paſtoris reſoni, grataque ruſticæ
Stupet carmina fiſtulæ.
Hic & floriferis ſedula ſaltibus
Succum libat apis, cernis vt impigris

Inſtans

Inſtans Officiis Nectare melleam
Stipet Ambroſio domum?
Illic aërio Sidera vertice
Tangunt Flandrorum culmina montium,
Imis hic gelidam currere vallibus
Vdo à fonte vides aquam.
Nuſquam pulcra magis claraque perpetim
Labuntur placido flumina murmure,
Et caras auido delitias hero
Piſcoſi referunt lacus.
Vt cælum varius condecorat nitor
Stellantis radij, ſic micat arcibus
Felix innumeris Flandria, & arduis
Fortes mœnibus adſpicit
Vrbes imperio ſuppoſitas ſuo.
Etſi non alius Carole nos honor
Adtollat celebres, hoc fuerit meæ
Hoc vnum Patriæ ſatis.
At quem Flandriadum non rapiat pius
Candor? vos alij viuite ſubdoli:
Quem non pura fides pectoris, atque amor
Veri fallere neſcius?
Quem non dexteritas gentis & omnibus
Quem non conueniens ingenium bonis?
Quis velare ſacri nube ſilentij
Laudatam velit indolem?

Hic

Hic ſudant vario Dædaleæ manus
Inſtantes operi, Mercurialibus
Hic curat ſtudiis impiger, & ſuo
Mercator vigilat lucro.
Incumbit placidis Aonidum artibus
Vatum docta phalanx, & Sophiæ litat
Pubes, Socraticis & madet hauſtibus
Caſtam Pallada percolens.
Quis non Flandrigenum ſtemmata, &
Ceris Anſoniæ vidit imagines?
Cui non belligeris aucta laboribus
Maiorum patuit domus?
Quam per vaſta Aſiæ regna potentibus
Armis preſſa ſacris frondibus aureas
Vinxit ſæpe comas priſca parentum
Virtus, & geminum latus.
Mundi Flandriacæ pubis honor nouis
Impleuit meritis, ac Superis grauem
Agaræ ſobolem vertit ad vltimum
Audax Flandria Caucaſum.
Nempe olim indecori ſæpè dedit fugæ
Iuratam penito robore Galliam
Inſtantemque feris agminibus Nili
Arctis limitibus ſoli.
Quin & liligeris Principibus necem
Flandrorum indomitus ſæpè tulit furor

Ac fuſus rabido à milite Gallum
Pinguem fecit humum cruor.
Sic crudos alius Flandrigenas ſuo
Senſit ſæpè malo & patruus vigor
Hoſtili rubuit ſanguine & impia
Carptim viſcera diffidit.
Enſis Flandriacâ fulmineus manu
Medum nempe potens enſis acinacem
Et ſtrictum validâ cuſpide Norvæ
Ferrum vertere dexteræ.
Nec diſpar veteri languet avo nepos,
At nunc, Martis adhuc dum placuit labor,
Pugnax, atque animi maſculus horridum
Rugit Flandriadum Leo.
Bello ſiue togâ ſcilicet inclyta
Audit Flandriadum Gloria, Martijs
Et decus ſtudijs nacti, per auream
Pacem ſe pariter probat.
Sic florete meæ lumina Belgicæ,
Et ſemper meritâ creſcite adoreâ:
Atque illis alius omnibus minor
Veſtris invideat bonis.

ANTONIVS SANDERVS C.

A.N.

ANTONII SANDERI
PRESBYTERI
De Scriptoribus Flandriæ.
LIB. I.

ADRIANVS [illegible] OOSTBVRGENSIS, Scripſit Epiſtolas, ac carmina multa circa annum 1570. Celebratur verſibus Iacobi Sluperij & Franciſci Hæmi.

ADRIANVS BVTIVS HVLSTENSIS, Dunenſis Monaſterij Religioſus. Vixit circa annum Domini 1466. & hiſtoria quædam ſui temporis ſcripſit. Memoratur à Iacobo Meyero in Philippo Burgundione ad annum 1453. vbi meminit idem Iacobi Butij qui germanus frater Adriani fuit ac in quodam Gandauenſium conflictu cum Adriano Verholtano viro nobili, a Gandenſibus fuſo, fugatoque non longe ab oppido Hulſto per aquam tranans euaſit incolumis.

ADRIANVS MEERBECANVS, Ludimagiſter Aloſtanus. Scripſit idiomate patrio in Belgarum potiſſimum Catholicorum gratiam, Chronicon Rerum toto orbe geſtarum, in quo ea potiſſimum accurate fideliterque recenſentur, quæ à Caroli V. ortu, ad hæc vſque tempora in Belgio contigerunt, quæ è manibus excutiantur Em. Metera in Franc [illegible] Hothardi Arthi, cæterorumque memoriæ atque hiſtoriæ, qui partibus ſæpe plus

a quo fuerit in Eccleſiam Romanam, Principeſque plurimum maledixit. Edidit Antuerp. Verdulſius 1620. fol. Idem nuper quoque dedit funus Alberti Belgarum Principis à Meerbecano Flandricè conſcriptum 1622.

ADRIANVS ROVLERIVS Inſulenſis Rhetoricam in Collegio Marchianenſi Duaci tradidit, luſitque Stuartam Tragœdiam, ſeu de martyrio Mariæ Scotorum Reginæ ibidem exhibitam. Obiit in patria Paſtor in D. Saluatoris, ac priùs D. Petri Seminario præfuit.

ADRIANVS SARAVIA Flander, origine Hiſpanus, anno 1591. emiſit in lucem, ex Typographia Ioannis Wecheli, & Petri Fiſcheri conſortium Francofurti librum hoc titulo: De diuerſis miniſtrorum Euangelij gradibus ſicut à Domino fuerunt inſtituti, & ab Apoſtolis traditi, ac perpetuo omnium Eccleſiarum vſu confirmati: ad hunc tractatum reſpondit Theodorus Beza 1592. Londini in Anglia libri ipſius quatuor de imperandi auctoritate & Chriſtiana obedientia impreſſi ſunt. verum,

Hic niger eſt, hunc tu Romane caueto.

ÆGIDIVS à ROYA Monachus Ordinis Ciſterſienſis, eius Monaſterij, quod, quia ſitum eſt ad ſcopulos arenoſos à natura contra impetus & tempeſtates Oceani obiectos, Dunenſe vocatur: Chronicon Ioannis Brandonis eiuſdem Domus Monachi, quod eſt ab origine mundi ad annum 1414. per annos circiter LXIII. continuauit. Meminit vtriuſque Meyerus in vita Ioannis Burgundionis Flandriæ Comitis. Vixit Ægidius Brugis quietus annos XVIII. in cella ſibi conſtructa. Obiit 15. Iulij 1478.

ÆGIDIVS BECIVS Viroviacenſis Poëta, fertur ſcripſiſſe quædam, ſed eius nihil vidi, præter elegans carmen in Cornelij Scribonij Graphæi Theandrum.

ÆGIDIVS BORTIVS Tenremundanus, Abbas S. Bauonis & Eccleſiæ Roſenſis Epiſcopus. Obiit 1417. Abbas videlicet ordine LIX. Antuerpiæ in Eccleſia Diui Michaelis conſecratus à Suffraganeo Cameracenſi; vir fuit de ſuo Monaſterio bene meritus, ac ante Raphaelem Mareatellis ſacellanus, a quo dignitates has, eo adhuc viuente, ob prudentiam ac virtutem accepit.

ÆGIDIVS BEYTRAECIVS Donſanus, doctum ac elegans opuſculum ſcripſit de vſuris centeſima, triente, ſemiſſe, aliiſque id genus, aduerſus Iuriſconſultos quoſdam ab Hermolao Barbaro diſſentientes, ad humaniſſimum & doctiſſimum IC. Franciſcum Delenium in ſupremo Pariſienſi Curia Inquiſitorum, Des Enqueſtes vocant, Præſidem. Extat eiuſdem Pariſiis eruditus dialogus ad Nicolaum Beraldum vtriuſque Linguæ Profeſſorem, quo pulchrè ac copioſe diſputatur, An IC. ab Oratoribus inſcitiæ ac infantiæ ſæpè damnati, iura ciuilia ſine eloquentiæ ope intelligere atque exponere poſſint.

ÆGIDIVS à LESSINIA Flandrer vel Hanno (vt Valerius credit, a Leſſina ditionis illius oppido), Ordinis fuit Prædicatorum Theologus, ſcripſitque in libros 1. & 2. Sententiarum, de vſuris, flores caſuum, Quæſtiones Theologicas, de concordantia temporum, de Geometria, de Cometis, & alia quæ Valencenis ac Tornaci apud Franciſcanos, itemque Bruxellæ in Carthuſia fuiſſe lecta, teſtatur Ioannes Bundenius, indice librorum mſs. per Belgium, cuius excerpta Valerio ſuppeditauit Aubertus Miræus Canonicus Antuerp.

ÆGIDIVS DE LA COVSTVRE, Inſulenſis, è Calviniſmo ad Romanam Eccleſiam & Orthodoxam redux, edidit Gallicè Apologeticum contra Antonium Leſcaillet in Anglia Miniſtrum Gallum de viſitatione Eccleſiæ eiuſque perpetuitate, Antuerpię Typis Plant. 1588.

ÆGIDIVS DE HERTOGHE Mechlin. Scripſit Epiſtolam ad Matthiam Cornarium de geſtatione fœtus [illegible] per annos tredecim.

ÆGIDIVS DE CONINCK Belliolanus, Societatis Ieſu S. Theol. Doctor, & in Academia Louanienſi Profeſſor. Edidit Antuerpiæ, Typis Nutij 1616 iterum 1619 fol. Commentariorum ac Diſputationum in vniuerſam D. Thomæ Doctrinam de Sacramentis ac cenſuris Tomos II. Libros etiam quatuor de moralitate natura & effectibus actuum ſupernaturalium in genere, de Fide item Spe & Charitate. Alia quoque non minoris momenti [illegible] parat

ÆGIDIVS MOSTAERDE Pictor Hulſtenſis, fratri ſuo Franciſco Famoſo item pictori teſte Carolo Vermandero, in tantum ſimilis, vt a proprijs parentibus alter ab altero diſcerni non poſſet: artem ſuam Antuerpiæ exercuit, vbi varia vti & Middelburgi in Walachria ſui elegantis admodum penicilli reliquit monumenta.

ALANVS INSVLENSIS Flander a loco Natiuum Cognomentum ſortitus, vir in diuinis ac ſæcularibus diſciplinis nulli ſuo tempore ſecundus per annos multos Sorbonæ Pariſienſi præfuit, ob ſcientiarum omnium cognitione Clariſſimus *Vniuerſalis* cognomen eſt adeptus. Scrip-

ſit

ta proſa oratione ac metro, infinita propè opuſcula, quibus nominis ſui immortalitatem ad Poſteros tranſmiſit. Ex iis extant etiamnum infra ſcripta,

Super Sententias Lib. 4. Quodlibetorum Liber vnus. Oculus Sacræ Scripturæ Lib. 1. De doctrina Liber vnus. In Pentateuchum Lib. 5. De ſex alis Cherubim. Sententiæ morales carmine elegiaco Lib. 1. De arte prædicandi. De naturis quorundam animalium. In Cantica Canticorum Lib. 1. De Pœnitentiis ad Archiep. Bituricenſem. De Æquiuocis Myſticis. De planctu Naturæ contra Sodomitas. Anticlaudianus Lib. 9. Homiliæ, Epiſtolæ, & Dialogi.

Fertur & in multos Sacrorum Bibliorum libros Commentarios & lecturas edidiſſe inſignes, præcipuè in Prophetas, Euangelia, & Apoſtolum, quę hodiè non eſt reperire. Hunc Alanum Robertus Holcoth, ſcribens in decimum Caput Salomonis lectione [illegible] vocat Alanum Magnum de Inſulis Doctorem Theologię Mirandæ [illegible], inquit. Trithemius, de eo narrantur, quibus ego nec fidem adſtruo, nec temerè infringo. Claruit ſub Alberto Imperatore 1300.

ALARDVS NVCAEVS vulgò du Gaucquier, Inſulenſis, Sereniſſimi Principis Matthię Auſtriaci Muſicorum Pręfectus Compoſuit quatuor Miſſas 5. 6 & 8 vocum, quas in folio regali edidit Chriſtophorus Plantinus.

ALVLPHVS TORNACENSIS, Ordinis S. Benedicti ex operibus S. Gregorij compilauit opus quoddam ſeu Commentarium in nouum Teſtamentum quod Gregorianum appellauit, impreſſum Pariſiis. Geſner. & Valerius.

AQVICINCTINVS ASCETA Anonymus, adiecit auctarium non aſpernandum Chronico Sigeberti.

ALVISVS

Alvisivs Abbas Aqvicinctinvs, & Epiſcopus Atrebatenſis, anno 1131. Comitatus eſt Theodoricum Flandriæ Comitem in terram ſanctam, & ibi mortuus eſt.

Alexander Secvndvs Abbas Aquicinctinus. Scripſit vitam Anteceſſoris ſui beati Golwini circa annum Domini 1100. Gazæus.

Amandvs Aqvicinctinvs Prior Monaſterij Aquicinctini, Ordinis S. Benedicti, altero à Duaco milliari, vberem ſcripſit epiſtolam de vita & obitu Venerabilis Odonis Epiſcopi Cameracenſis, legitur mſc. Aquicincti hoc initio, Aquicinctenſis Cœnobij humilis congregatio, &c. floruit M. CXIII.

Ambrosivs Woestyne, Ordinis D. Benedicti Religioſus Tornaci ad ſanctum Martinum, Ius Canonicum verſibus complexus eſt hoc initio, A Ioue principium Muſæ, quod aliquando lectum fuit in Monaſterio ſeptem Fontium iuxta Bruxellam: Valerio teſte in Bibliotheca.

Antanvs Abbas Aldenbvrgensis origine, Caſtetanus Monachus, primum Bergis S. Winoci Ord. S. Benedicti. Scripſit Chronicon vniuerſale ab initio mundi ad ſua vſque tempora, nempe ad annum 1457 quod an hactenus Typis evulgatum ſit ignoro. Vide Gazæum in Bibliotheca, & Ioannem Cognatum lib. 4. cap. 42. Hiſtoriæ Tornacenſis.

Andreas [illegible] Neoportus IC. Rhetorices in Vaulxiano Louanij Gymnaſio nuper Doctor elegantis ingenij & ſtili,

& ſtili, ſi aut ſoluta aut vincta numeris ludit oratione, nunc Tornaci agit Officialis vt vocant, ſiue Iudex in Conſiſtorio Epiſcopali. Edidit Louanij Prometheum, ſiue de origine ſcientiarum drama, in quo vrbis & Academiæ Louanienſis Encomium, Typis Philippi Dormalij 1613. 4. eiuſdem ſeptuplex gladius, de ſeptem Virginis Deiparæ doloribus elegiæ totidem ibidem à Flauio editæ 1613. 4. eiuſdem ſeptuplex triumphus, ſiue Gaudia Virginis Deiparæ, Tornaci 1614. apud Carolum Martinum. Lachrymæ ſiue Amoris caſti, ibidem.

Andreas Croqvetivs Duacenſis, Prior Monaſterij de Haſnon, & S. Theol. Doctor, ſcripſit Catecheſes Chriſtianas & Paraphraſin ſeu Sermones in ſeptem Pſalmos Pœnitentiales impreſſos Duaci. Obiit anno 1580. Commentatus eſt in Epiſtolam ad Romanos, item ad Hebræos.

Andreas Eligivs Bacchervs Poperinganus I. V. D. & in Curia Flandriæ Aduocatus, poſteà in ſchola Biturigum Anteceſſor. Scriptas reliquit, & diſputandi gratiâ propoſuit Theſes nouem ſupra ducentas, quarum titulus eſt huiuſmodi: Rationes de iure, perſonis & rebus, extra cōtractum acquirendis. Has Biturigibus [illegible] apud Ioannem Gamerium impreſſas, dedicauit Ampliſſimo Viro Michaeli Hoſpitalio Galliarum Cancellario, qui ipſi Andreæ in Bituricenſi ſchola (quæ Hoſpitalio Curatore clarebat) adoleſcentiæ in legibus inſtituendæ curam iniunxerat. Obiit Biturigibus, vbi vxorem Gallam duxerat circa annū 1562. Iura ciuilia in eadem Academia docentibus Iacobo Cuiacio, Hugone Donello, & Antonio Contio, totâ Europâ notiſſimis IC. Collegis ſuis.

ANDREAS MARCHIANENSIS, Benedictinorum in Flandria Prior. Scripſit de origine rebuſque geſtis Francorum lib. 3. à Meyero in Annalibus Flandriæ ſæpe laudatos. Extant in Marchianenſi & Hemnacenſi apud Duacum Monaſteriis, teſte Valerio.

ANDREAS MOLINAEVS, Flandricis Rythmis vertit è Latino libellum quendam de ærumnis, ac calamitate vitæ humanæ. Impreſſit Gandaui Iudocus Lamberti 1543.

ANDREAS PEVERNAGIVS Cortracenſis Symphonaſcus ſeu Chori Muſici Eccleſiæ Cathedralis Antuerpienſis Magiſter. Compoſuit opera multa muſica, & inter alia, cantiones ſacras (quæ Moteta vulgus vocat) ſex, ſeptem, & octo vocum, quibus addita ſunt Elogia nonnulla verſibus expreſſa Latinis, quæ omnia viuâ voce, omniſque generis inſtrumentis cantatu commodiſſima, 1578. impreſſit Plantinus. Prodierunt & eiuſdem Peuernagij alij tres cantionum libri, quinque vocum. Collegit idem Harmoniam cæleſtem ex operibus excellentium Muſicorum, 4. 5. 6. 7 & 8. vocum. in quibus ſuauiſſima (vt dicunt) Madrigalia continentur. Celebrat hunc Carminibus ſuis, Franciſcus Hœmus, eique etiamnum ſupereſt filius Andreas item Peuernagius, Societatis IESV Sacerdos, vir doctrina ac facundia clarus, & de Rep. Gandauenſi optimè meritus.

ANSELMVS & OLIVERIVS NIEVLANDVS, Geminum patriæ & patriciæ ſuæ familiæ ornamentum, vterque Iuriſprudentiæ laude inſignis, quorum hic variis in Repub. muneribus perfunctus, tandem deceſſit Procurator Regius in Concilio Flandriæ: conditusque eſt Gandaui ad Diui Iacobi. Ille verò cuius etiam in Rempub. multa exſtant merita,

merita, præter iuris cognitionem, omni humanitate & varià eruditione claret. Ita Lindanus in ſuis de Teneramunda Commentariis.

ANTONIVS DE BLONDEL, Vir nobilis Tornacenſis Baro de Quinchies, Iacobi Equitis & Præfecti Arcis Tornacenſis filius, olim Dionyſio Harduino Mediolani cognitus, eo ſcilicet tempore quo Dux Sueſſæ Conſaluus Ferdinandus à Corduba Prouinciam cum Imperio adminiſtrabat. Vbi hic noſter omnibus dotibus, quæ iuuentutem nobilem ornare ſolent, equitandi peritiâ, arte Muſicâ, & Organorũ Symphoniacorum tractatione & motu; iis denique omnibus quæ in ſacris Græciæ certaminibus exercebantur, æqualibus ſuis tam Italis quàm Belgis præſtitit. In Patriam reuerſum, impotens ille Deorum & hominum dominator (vt eſt in fabulis) Cupido transfixit, qui concepti amoris ignes carminibus Gallicis ſcriptis, & ad barbiton ſuum ſuauiſſimè decantatis, magni nominis & illuſtrem puellam colens, alebat: Sedile Poeticum in villa Cuincthiana fuit ab Antonio præfato Muſis dedicatum, vulgò,

Le bancq Poëticque du Baron de Cuinchy.

in cuius laudem multi Poetæ laborarunt.

ANTONIVS HVLSTIVS Flander, Ordinis Diui Auguſtini Canonicus Regularis apud Eyndouium in Haga Mariana. Edidit libellum, cui titulus, Stadium Curſoris Chriſtiani. Excudit Ioannes Bellerus Antuerpiæ anno Domini 1556.

ANTHONIVS MEYERVS, Rector Scholæ Atrebatenſis plura verſibus Latinis conſcripſit: vti ſunt, Iſo-

cratis ad Dæmonicum Parænefis, Nili Epiſcopi Gnomæ, Epitaphia Virorum Illuſtrium, De quatuor nouiſſimis. Cato Chriſtianus. Comites Flandriæ Cameracum, Vrſus de rebus S. Vedaſti. Vide Gazæum & Valerium Andream.

Antonivs Popvlier Miles iuxtà, ac Poeta, Gallicorum & Latinorum Verſuum Scriptor. Bononiæ in Æmilia, in D. Georgij Templo ſepultus huiuſmodi Epitaphium habet:

Tantæ molis erat, talis vultuſque manuſque,
Brachia, crura animum pingere nemo poteſt.

Antonio Populier Flandro Caroli V. Rom. Imp. Laterum Cataphracto, amici mœrentes. P. Obiit anno Domini 1530. 5. Ianuarij. Longus erat pedes Romanos antiquos octo & tertias tres.

Antonivs Sylvivs Dunkerckanus, apud Viluordianos in Brabantia Gymnaſiarcha, ſcripſit colloquia puerilia cum Gallica & Flandrica interpretatione, Louanij 1573. 4. & Antuerpiæ 1580. 8. Plantini Typis. Ex illius ludo, inquit Valerius, prodiêre inſignes aliquot viri, Ægidius Periander Poeta, & Carolus Scribanius, aliiq; meri Heroes.

Antonivs Schoormannvs, qui ob ingenij ſolertiam, & in agendo dexteritatem, per varios dignitatū gradus tandem in Conciliū Parlamenti aſcendit, non ita ſtaturus felicitati ſuæ metam, niſi illum in viridi ſenecta mors occupaſſet. De quo quidem viro, cùm, qui virum non tulerunt, mortuum laudarent (vt tum demum iudicia vera ſunt, cum nec ſpes, nec metus cogit) hominē doctum exclamare, memini Horatianū illud *Virtutem incolumem odimus, ſublatam ex oculis quærimus inuidi.* Ita Dauid Lindanus in ſuis de Teneramunda Commentarijs. Superſunt & hodie Magno Patri tres

neuri-

neutiquam impares virtute ac doctrinâ filij. Antonius in Flandrorum curia Conſiliarius. Alter Reip. Gandauenſis Syndicus, in quo an maiorem facundiam ac eruditionem, an prudentiam & ad res ciuiles tractandas habitudinem agnoſcere debeas, merito dubites. Tertius eſt cauſſarum militarium per Flandriam Iudex, Vir etiam egregius.

ARNOLDVS DE RAISSE, Theologus Duacenſis, Vir eruditus, parat ad editionem, vaſtum ac frugiferum opus hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ſeu de vitis Sanctorum Belgij, poſt Molanum, Heribertum Roſweydum, ac alios, qui in eodē argumento laudabilem & Eccleſiæ vtilem operam poſuere.

ARNOLDVS & ROLANDVS SEGERSTAPLII Loēnſes, viri litterarum cognitione clari, memorantur à Iacobo Marchantio in deſcriptione Loæ. Quid ediderint hactenus mihi incompertum.

ARNOLDVS BAERTIVS I. V. Doctor. Extraordinarias lectiones Duaci habitas, emiſit in lucē. De eo quod intereſt, ad L. Virium 3. de eo quod certo loco. Prodijt eiuſdem nux feudalis dicata Illuſtri & Generoſo Viro D. Gerardo de Hornes, Baroni de Baſſigny, impreſſa Coloniæ apud Maternum Cholmum. Recenſuit præterea Iacobi de Bello-viſu Practicam Criminalem, & annotationibus auxit. Hunc Valerius Bruxellenſem dicit, & viru Iuris ſcientià, ac rerum forenſium vſu in primis excellentem.

ARNOLDVS CABOTERIVS Medicinæ Doctor. Scriptis ſuauibus carminibus nomen ſuum poſteritati notum fecit: celebrauit illum Poematiis ſuis Franciſcus Hæmus.

ARNOLDVS GERARDVS Laurentianus Flander, de fide Catholica ſcripſit Librum vnum, quem Coloniæ impreſſit Maternus Cholinus anno 1556.

ARNOLDVS LAVRENTIVS Berchenius Poeta non inuenuſtus: ſcripſit librum piorum carminum cum aliis aliquot poëmatiis, cui elegantem præfixit epiſtolam Victor Giſelinus. Impreſſit Antuerpiæ Vidua Martini Nutij.

ARNOLDVS MASSIVS, S. Theologiæ Doctor, & in Academia Duacenſi Profeſſor ibidemque Collegiatæ Eccleſiæ S. Amati Decanus, vir Hebraicè, Græcè ac Latinè doctiſſimus fuit: ſcire tamen, quæ ſcripſerit hactenus non potui. De eo ſic in Epiſtola dedicatoria ad Regem Catholicum Philippum II. Ioannes Syluius in libro de tuenda valetudine ſtudioſorum; Cæterum, & his conjungendus venit D. Arnoldus Maſſius, qui præter liberalium litterarum ſummam peritiam, ſic ad diuinorum Sacrorum myſteria penetrauit: vt omnibus magnæ admirationi eſſe meritò debeat. Cuius ſanè rei amplum & perſpicuum teſtimonium dabunt eius Lucubrationes in ipſam Geneſin quæ propediem in lucem ſunt prodituræ.

ARNOLDVS LENSAEVS, Ioannis Lenſæi Doctoris Theologi frater. Fuit Medicus, qui, teſte Petro Caſtellano in vitis Illuſtrium Medicorum, ad Ducem Moſchouiæ profectus, vt valetudinem regeret, & in Mathematicis diſciplinis erudiret, communem regni calamitatem incurrit, cum Metropolis incendio funditus à Tartaris deleretur.

ARNOL-

Arnoldvs Iscanvs Flander, Ordinis S. Franciſci regularis obſeruantiæ & Guardianus Louanienſis, quinque ſermones vernacula Lingua conſcripſit, de Salutari in Chriſtum fide, anno 1593. Gazæus.

Arnoldvs Motorivs Blancoberganus, ad D. Donatiani Brugis Canonicus, Poeta elegans, Venuſtum carmen Elegiacum ſcripſit in C. Iulium Cæſarem, ſtudio & opera Marci Laurini ab Huberto Goltzio reſtitutum.

Arnoldvs Vennekens, Monachus ad Sanctam Brigittam Teneramundæ. Libellum edidit vernaculum de Vita & Paſſione Domini noſtri Iesv Chriſti collectum ex quatuor Euangeliſtis. Impreſſit eum Gandaui Vidua Gilleni Manilij 1575.

Arnoldvs Mefrmannvs Aloſtanus Minorita, Sacræ Theologię in Conuentu Louanienſi Lector. Scripſit Epiſtolam Linguâ vernaculâ ad Catholicos de calamitoſa tempeſtate in Religione Chriſtiana, eâ præcipuè quæ incidit in annum 1566. menſe Auguſto. Scripſit idem Auctor Theatrium conuerſionis Gentium, ſiue Chronologium de vocatione omnium populorum, & propagatæ per vniuerſum orbem fidei. Impreſſit Chriſtophorus Plantinus 1572. Scripſit idem Catechiſmum Pœnitentium inſtar Dialogi, quo ratio pœnitentię ineundæ declaratur ad Cardinalem Granuellanum, item de Exomologeſi Sacerdoti facienda, item de pœnitentia publica & ſolemni. Impreſſit omnia Ioannes Bogardus Louanij 1564. Edidit & orationẽ parænetica de fugienda conſuetudine hæreticorum ad Catholicos, item libros

libros tres de rogationibus & peregrinationibus, & hymnis,& ſolemnibus ſupplicationibus cum lucernis & omni Religionum panoplia. Exſtat item eius liber de Cruce, eiuſque religioſa adoratione; eiuſdem quoque legitur Dauus perduellis, ſiue rerum publicarum perturbator, Louanij 1564. Cænotaphio non ignobili prope Capitulū Conuentus honoratur.

Arnoldvs Wion, Duacenſis, Monachus S Benedicti de Mantua, Ordinis D. Benedicti. Euulgauit librum hoc titulo; Lignum vitæ, Ornamentum & decus Eccleſiæ in quinque libros diuiſum, in quibus totius Sanctiſſimæ religionis D. Benedicti initia, viri dignitate, ſanctitate ac principatu clari deſcribuntur, & fructus qui per eos Sanctæ Romanæ Eccleſiæ acceſſerunt, fuſiſſimè explicantur. idem liber in Italicum idioma tranſlatus eſt. Meditatus eſt & Chronologiam ab orbe condito ad hæc vſque tempora, vt Gazæus ait. Scripſit & Tractatum de antiquiſſima & Illuſtriſſima familia Aniciæ, quam D. fuiſſe Benedicti aſſerit, ex qua Principes Auſtriacos deducit.

Alexander Sylvanvs, vulgò vanden Boſche, domeſticus Caroli Noni, & Henrici III. Galliæ Regum, multa ſcripſit Gallico ſermone, De Mulieribus virtute illuſtribus, Dialogum de honeſto amore, De miſerijs huius mundi Poëticum tractatum; Proceſſum Tragicum qui quinquaginta quinque continet hiſtorias, & quinquaginta ænigmata cum expoſitionibus Impreſſit Pariſiis Ægidius Beys 1581. Poemata & Anagrammatiſmos impreſſit Gulielmus Iolianus 1570. Arithmeticam item militarem Ægidius Vurbin 1579.

Avge-

Avgerivs Gislenvs Bvsbeqvivs Toparchi de Busbeque, qui nunc Baronatus eſt circa Menenas, filius. Virouiaci & Cominij à claris Grammaticis, puerilibus ſtudiis imbutus eſt, inde Louanium celeberrimum optimarum artium domicilium, ad iura Romana perdiſcenda miſſus, tantâ contentione in Diſputationibus & Lectione ſeſe exercuit, vt eum æquales & Academiæ magiſtri adeò celeriter atque feliciter profeciſſe admirarentur. Poſt hæc ab Auia expenſus & Mineruá ferente, in Italiam ingeniorum altricem amandatus, ſex ibi propemodum annos ſummo cum fructu tranſegit, & Venetiis Ioanni Baptiſtæ Egnatio, Bononiæ & Patauí aliis doctis hominibus in eloquentiæ ſtudiis operam dedit: atque in Belgium reuerſus, Petro Laſſo Ferdinandi Regis Romanorum Oratori in Angliam miſſo ad Regem Philippum cum Regina Maria nuptias celebraturum, comes datus eſt. Inde in Flandriam rediens Inſulis ab eodem Ferdinando (cui iam ab eximiarum virtutum catena incomparabili ac eloquentia exuberante à Nicolao Vanderano Belga Cæſaris Secretario, & aliis præſtantibus viris commendatus erat) euocatur, fitque Præfectus formandæ adoleſcentiæ Illuſtrium Maxæmiliani Cæſaris filiorum, *Matthiæ, Maxæmiliani, Alberti & VVenceſlai* Archiducum Auſtriæ, cum iis omnibus in Hiſpanias ad aulam Regis auunculi miſſus, vbi Busbequius triennio hæſit. verùm cùm vlteriùs non ferret æſtiuos regionis feruores, impetratâ abeundi veniâ, ad Cæſarem rediit. Legationibus variis functus eſt, ad Solymanum quoque Turcarum Imperatorem miſſus, in eius aula octennio plus minus, ſumma cum Reip. vtilitate & gloria ſua res Chriſtianorum tractauit, ab ipſis Turcis, vt ſcribit Guicciardinus in Cominio, vir bonus cognominatus. A Cæſare non diu pòſt in Gallias miſſus eſt, futurus Iſabellæ filiæ recèns Carolo Nono nuptæ Conſilia-

rius,cuius aulam ſemper ſecutus eſt vſque ad Regis mortem. Regina autem vidua ad patrem reuerſa, Busbequium in Gallijs reliquit,qui ibi vſusfructus ſui,& nuptialium lucrorum negotia curaret ; quod quidem vt maiori authoritate fieret , datus eſt illi titulus Magni domus reginalis Magiſtri, ac Legati Cęſaris Rodolphi: habitauit autẽ tunc ſemper aut Pariſiis, ſplendido Galliarum theatro,aut in Pago, Sainct Clou nuncupato Gallicè,aut in vrbecula Mantes ad Sequanam duodecimo à Pariſiorum Lutetia milliari,ſalubri aëre & amœno ſitu dotata: ibique ſe poſtremò continuit , donec oppidi Ciues nec ſacri fœderis Proceribus Catholicis,nec Principi Bearnenſium factioni nimium addicti, libertatem ſuam tutarentur. Proſpiciens verò calamitatem imminentem emigrauit illic anno 1591.menſe Septembri, & profectionem parans Diepam(quę vrbs Normanniæ Littoralis eſt) vbi & litteras ſe ab Hera faciliùs recepturum,& de omnibus Cæſaris rebus certiorem ſe fieri poſſe credebat, aliquot diebus ſubſtitit in Louuers oppidulo, vbi à Cæſare iam Septuagenarius ſenex ſemeſtre ſpatium impetrauit, vt Patriam & amicos inuiſeret: itaque per Normanniam bellis Ciuilibus impeditam,Belgium verſus iter inſtituit, cumque ſub Veſperum adpuliſſet in Pagum Cailly, nouem Diepâ diſtantem milliaribus,intempeſtâ nocte ſomno obrutum adorti ſunt ſeptẽ milites præſidiarij vicinæ Arcis de Preau,illumq; quo iure,quâve injuriâ,in præſidij ſui locũ equo impoſitũ abduxerunt,indigniſq; modis optima & proſperrima quæq; meritum tractarunt Mox tamẽ iuſtiſſimis allegationibus auditis dimiſerunt.Redijt ille ex infauſto diuerticulo Callyum,vehementer ſanè commotus & febri laborans:at ſtatim inde digreſſus in pagum S. Germani Callyo proximũ,hoſpitio iſthic ab humaniſſima Mar-

Marchione Mailloci exceptus eſt, ac per nouemdecim dies febricitauit, vrinæ etiam ſuppreſſione miſerabilem in modum adflictus, calculis & materiâ craſſâ lotij meatus obſtruentibus atq; ita poſt fabulā motoriam, varias profectiones, & vitæ inquietæ periodum abſolutam, tandē XXI. Octobris ſequentis, anno ætatis ſuæ 76. viam vniuerſæ carnis inambulauit. Quem Hera Regis Caroli vidua Ianuario ſequenti 1592. poſtquam octodecim annos in viduitate ſua Viennæ, vt Euangelica illa Anna Phanuelis filia, Deo noctes atq; dies famulata eſſet, ſecuta eſt. Mortuo ſecta fuit veſica, inuētiq; duo lapides prægrandes. Corpus exanime ſepultum fuit in æde S. Germani, cor autē exentheratum, ac capſæ plumbeę incluſum, in Flandriā magnifico monumento Maiorum Busbequij illatum eſt. Anima, vti ſpes eſt, requieſcit in æterna fœlicitate, mercedem copioſam bonorum operum, in quibus vir prętantiſſimus ſe exercuit, recipiens. Fuit ſtaturā mediocri, ore fuſco, naſo Aquilino, facie ſublongâ, vultuq; graui ac venerando. Sorores habuit conſanguineas, quarum vna Dño de Willerij; Altera Toparcho de Wieſe, viro magnis quoque animi dotibus prędito, nupta eſt. Fuit Augerius vir herclè maximus, Iuris Ciuilis omniſq; Philoſophiæ callētiſſimus, Antiquitatis Helluo, ſub ſenectutē Lectioni de re medica ſcriptorū, & hiſtoricorū monumentis vigilanter incumbens, præter linguam Græcam & Latinam tam exactè in Italica, Hiſpanica, Gallica, Germanica, & Illyrica verſatus, vt illarum quæuis illi vernacula poſſit videri. Elegante proſâ deſcripſit Itinera Conſtantinopolitanum & Amaſianum, Item de acie contra Turcam inſtruenda. Vtrumque opuſculum Plantinus impreſſit 1581. Anno verò 1595. prodijt liber hoc titulo, Aug. Giſlenij Busbequij Domini, Legationis Turcicæ Epiſtolę quatuor, quarum priores duæ

antè prodierant ſub nomine Itinerum Conſtantinopol. & Amaſiani; adiunctæ ſunt duæ alteræ, eiuſdem de re militari contra Turcam inſtituenda conſilium. Impreſſerunt Francofurti hæredes Andreæ Wecheli. Complures ac inſignes orationes Gallicas Busbequius coram Galliæ regibus habuit. Eius plurimi doctrinâ Illuſtres Viri honorificam in ſcriptis ſuis fecere mentionẽ. Andreas Matheolus in Commentariis ad Dioſcoridem, vbi in operis præfatione fatetur ſe non parum à dicto Busbequio adiutum fuiſſe, & ab illo ſubminiſtratos ſibi Codices varios mſc. Conſtantinopoli allatos. Sanè fuit Busbequius talis cui illud quadret.

ὅνδ' ἀυτὴ πολύμητις ἀνέπλασε χέρσιν Ἀθήνη.

Quem proprijs finxit manibus cordata Minerua.

Minimè verò eius ad Turcas Legatio otioſa fuit. nam animantium Orientis naturas, & veteres marmorum inſcriptiones, herbarumque proprietates indagauit ac noſtris ea omnia communia fecit. Plurimos item Græcos ac Latinos in Membranis mſc. Codices in media Græcia magno ſtudio conquiſitos Viennam ſecum contulit, ac iis in Cæſarea Bibliotheca locum dedit. In Augerij mortem hoc Iuſtus Lipſius ſcripſit.

Augerius isthic eſt ſitus Busbequius.
Quis ille? quem virtutis & prudentiæ
Habuêre carum gratiâ ipſi Cæſares.
Hunc aula eorum vidit, aula & extera
Aſiæ Tyranni. Quæ viri felicitas?
Probauit hæc & illa, in omni tempore
In munere omni Neſtorem ſe præbuit
Linguâ atque mente. Iam quies cum ſibi

Et

Et Patria hæc poſcebat. ecce ſuſtulit
Viam per ipſam miles, incertum an latro.
Sed ſuſtulit ſimulque ſidus Belgicæ,
Quod nunc choreas fulget inter Aſtricas.

I. Lipſius Magno Amico exiguum monumentum P.

BALDVINVS CABELIAVTIVS Iprenſis Flander è Societate IESV, Poëta ingenio ſtiloq; elegans, vti teſtantur Epigrammata de multis ſelecta editaque Typis Plant. Antuer. 1621. Edidit & Tetraſtichis Lemmata hiſtorica, Ipris apud Bellettum.

BALDVINVS FABER Iprenſis Theologus inter vrbis Iprenſis viros claros recenſetur à Iacobo Marchantio.

BALDVINVS IMPERATOR CONSTANTINOPOLITANVS Flandriæ Comes, dedit Epiſtolas de capta per Latinos Conſtantinopoli: quæ Sonegiis in Archiuis Collegij Canonicorum, & alibi leguntur.

BALDVINVS LANSAMIVS, olim Parochus Meſſinenſium & Ludimagiſter Neoporti, doctiſſimos habuit diſcipulos, inter quos fuêre Hieronymus Chlychtouęus S.Th.Licētiatus, Parochus D. Donatiani, & Leuinus Crucius, de quo infrà. Scripſit quędam, vt audio, ad Grammaticen ſpectantia.

BALDVINVS NINIVENSIS, Chronographus & Canonicus Ordinis Præmonſtratenſis. Chronicon breue à Chriſto nato ad annũ 1294. deduxit, quod exſtat mſc. in Niniuenſi S.Cornelij apud Flandros Abbatia. Multa ex eo in ſuũ Chronicon Præmonſtratenſe Aub. Miræus tranſcripſit.

BALDVINVS SMETIVS, Auguſtinianus Iprenſis, è Latino vertit in Flandricum ſermonem, D. Auguſtini expoſitionem duodecim articulorum fidei : quæ tranſlatio eſt prohibita legi.

Liber cenſuram patitur. BARTHOLOMAEVS BATTVS Aloſtanus; ſcripſit de Oeconomia Chriſtiana libros duos diligente curâ & labore è ſacris & prophanis Auctoribus collectos. Quorum prior de cura & officio parentum erga liberos agit : Poſterior, qua cum obedientia parentes à liberis honorandi ſint. Eius filios (inquit Harduinus) Ioannem & Lininum olim habui Gandaui primùm in ſcholis triuialibus, dein Lutetiæ Pariſiorum condiſcipulos. Poſterior in virum doctũ expertemq; medicum euaſit, Roſtochiiq; in Germania aliquot annis artem medicam docuit, ac libris editis eandem artem exornauit. Sed eorum nihil ad me peruenit, ideoque non potui illis hîc locum dare.

BARTHOLOMAEVS PETRI Lintrenſis S. Theol. Doctor, ac Primarius in Academia Duacena Profeſſor, vir virtute ac eruditione clariſſimus, verumq, eiuſdem ſcholæ columẽ, quæ hactenus edidit hæc ſunt: Apoſtolicæ Sedis definitiones veteres de gratia Dei. Liber Duaci excuſus eſt 1616. Commentarius in caput quintum primæ Epiſtolæ S. Ioannis, vbi eximius Dominus Gulielmus Eſtius deſiit. Item in ſecundam & tertiam eiuſdem Ioannis. Commentarius item luculentus in Actus Apoſtolorum.

BERNARDVS EVERARDVS Armenterianus, teſte Valerio Andreâ in ſua Bibliotheca, luſit Salomonem Comœdiam ſacram, aliaque Carmine edita ſunt Duáci, Typis Boſcardi anno 1564.8.

BERNAR-

BERNARDVS RYCQVIVS Pictor Cortracenſis. Pictoribus claris adnumeratur à Carolo Vermanderio in ſuo de Belgis tractatu. Inter alias, eius vna celebratur tabula, quæ in D. Martini Cortracenſis ſuper altare Confraternitatis S. Crucis poſita eſt: vbi Crucem ſuam Chriſtus Dominus baiulat. Cortraco Antuerpiam commigrauit 1561. ibique mortuus eſt.

BOETIVS EPO Rhordahuſanus Friſius, natus anno orbis redempti 1529. parentibus honeſtis & Catholicis: factis in patria ſtudiorum initiis, Coloniam anno 1543. ætatis 13. ablegatur. Philoſophi titulum capit anno eius ſæculi 1549. ætatis 20. & dum docendi ibidem Tyrocinium facit, Medicinæ ſtudium Iuueni arridet. Zwollam inde concedens anno 1552. biennium docet, & Græca Latinis iungit. hinc Louanium profectus, Homerum & Heſiodum publicè interpretatur. ibi Theologiæ ac Iuris ſcientia adoleſcenti placet. Luſtratis deinde Germaniæ Galliæque Academiis, Lutetiæ annum vnum hæret ac docet, & iuri cæteris poſtpoſitis totum ſe vouet. Acceptâ ſupremâ Tholoſę iuris Laureâ, anno 1560. ętatis 31. Louanium reuertitur, & ad docendum ſe ſuaque componit. Biennio poſt 1562. 3. Non. Octob. dum Vniuerſitas Duacena auſpiciis Regiis initium capit, ſolemni in vrbem pompâ cum cæteris Profeſſoribus ac Doctoribus Boetius introducitur. Hic annis 37. ſummâ in docendo dexteritate, in conſulendo rebuſq; publicis tractandis prudentiâ exactis, iure ac nomine Comitis Palatini obtento, ſolus ex primis illis velut Colonis Louanio Duacū deductis ſuperſtes, ac Primarius iuris Pontificij Anteceſſor moritur ſeptuagenario maior 1600. 17. Kal. Decēb. & apud Soc. IESV Patres ſepelitur, breui hac vti iuſſerat inſcriptione, *Boëtij corpus quieſcit hîc Eponis, animam reſpice ô Ieſu benigniter.*

BRANDO

BRANDO IOANNIS Hontenesſâ oriundus, Monachus Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Dunis. Scripſit Chronicon Dunenſe, in quo geſta memorat Prælatorum Monaſterij illius. Item Chronicon ab origine mundi ad annum ferè 1428. quo diem ſuum obiit. Vide Meyerum Annalium lib. XVI. in vita Philippi Boni.

CAROLVS à LANDAS Tornacenſis IC. Huius extat Tractatus de Procuratoribus, & quibuſdam Iuris controuerſi parergis 1591.

CAROLVS ex Illuſtri à Diuo Audomaro ſtirpe progenitus, Drenoultrę Dominus, amœniſſimam eruditionem natalibus nobiliſſimis coniunxit. Hortum habuit egregium in rure ſuo Moerbekano, vbi alebat omne genus florum, herbarum, auiumque, emiſſis qui in Belgio & extra, ſtudioſiſſimè conquirerent. Multos annos doctum Pictorem in ea quam diximus Villa habuit, qui omnigenos flores herbaſque depingeret. Horum quatuor volumina elegantiſſimè depicta legauit Louanienſi Medicorum Collegio, & Conradum Geſnerum Heluetium iuuit, (vt ille apertè fatetur) ad componendam ſuam lapidum hiſtoriam, diuerſiſque aliis argumentis, quam procliuis eſſet ad Flandriam condecorandam, & ſtudia Medicinæ illuſtranda. Mortuus Moerkerckæ, vbi monumentum ſumptuoſum è marmore & porphyretico lapide cum hac inſcriptione habet,

D. O. M.

Carolo à Diuo Audomaro dicto à Moerbeke, Domino Drenoultre, Moerkercke, &c. qui primâ ætate in caſtris egregiè peractâ, cum morbo victus militis oneribus ſe imparem fateri cogeretur, ad amœniores litteras animum flectens, in ſimpli-

ſimplicium & animalium cognitione ita excelluit, vt non facilis inuentu fuerit, qui parem cum generis nobilitate eruditionem ſit aſſecutus. Teſtam. execut. iuſſi PP. Vixit annos 36. menſem vnum. Obiit pridiè Idus Februarias anno 1569.

Carolvs Hovckivs, Canonicus & Archidiaconus Ipris Flandrorum, ſcripſit de origine, progreſſu ac inſtitutis Monaſterij Virginum de Nouienboſche ob turbas ciuiles ex Iprenſi agro in vrbem tranſlati, quæ appendix eſt ad origines Cœnobiorum Benedictinorum in Belgio, Auberto Miræo collectore, Audomaropoli 1607. apud Franciſcum Belletium.

Carolvs Liebardvs Langmarcæus Poëta, Epigrammata multa operibus Iacobi Sluperij inſeruit.

Carolvs à Patria dictus Iprensis, famoſus Pictor; Memoratur à Ludouico Guicciardino in deſcriptione Belgij, & à Carolo Vermanderio in ſuo de Belgis Pictoribus volumine. Diſcipulum habuit Petrum Vlenchium.

Carolvs Claissonivs Loanus, litterarum ſcientiâ clarus; memoratur à Iacobo Marchantio in Loæ deſcriptione.

Carolvs Blendec, Monachus Marchianenſis Ordinis Sancti Benedicti, ſcripſit Hiſtoriam de admirabili redemptione Energumenorum quorundam in Diœceſi Sueſſionenſi, Pariſiis 1582. è Latino Gallicam quoque fecit Violam animæ Remundi Sebunei Atrebati 1600.

CAROLVS BLONDESQVES Flander, Monachus in Abbatia Marchianenſi Ordinis S. Benedicti, Sueſſionibus, vbi anno 1583. habitabat, ſcripſit Hiſtorias memorabiles, quæ in Diœceſi Sueſſionenſi contigerunt 1582. de Arreptitiis quinque, ac quomodo ex iis pulſa fuere dæmonia. Impreſſit Pariſiis Gulielmus Chaudiere.

CAROLVS BLOMMAEVS Loanus Poëta, cuius Carmina immixta ſunt Poematis Iacobi Sluperij: Vir amans Poetices, & ſimilium elegantiarum fuiſſe deprehenditur.

CAROLVS SVCQVETVS Flander IC. eximius, in viridi ætate Taurini in Gallia Subalpina, vbi Iuriſprudentiam publicè interpretabatur, mortuus. Cui Epitaphium ſcripſit Ioannes Secundus Hagienſis Poeta celeberrimus. Scripſit librum de Interdictis, Taurini impreſſum. Carolus ſanè abſolutæ Iuriſprudentiæ, vtriuſque litteraturæ decus adiunxerat Biturigibus, Andream Alciatum audiuit, & in eadem Academia Viglij Zuichemi, qui ibi locum cathedramque Andreæ Alciati in Italiam profecti, per menſes aliquot in prælegendo ſummo cum plurimarum nationum adplauſu, tenebat, amicitiâ floruit. Patrem habuit Carolus, Antonium Sucquetum Flandrum, inter Conſiliarios Arcani Concilij Cæſaris auctoritate præcipuum, bonarum litterarum inuictiſſimum propugnatorem, ac candidiſſimum Litteratorum patronum, crebris quoque legationibus illuſtrem, qui deſiit inter mortales eſſe anno 1525. quum eius frater Ioannes Caroli patruus, in prima Magni Concilij, quod Mechliniæ eſt, fundatione anno 1504. Conſiliarius biennio aut triennio antè rebus humanis exemptus eſſet. Vir & ipſe etiam virtute, litterarumque ſcientiâ perornatus, & ab Eraſmo

Eraſmo Roterodamo ſæpiùs in Epiſtolis laudatus. Hodiè etiamnum ex eadem Familia viri aliquot magnis in Repub. muniis, virtutibus ac litteris clari ſuperſunt, ac inter alios quidem Eximius R. P. Antonius Sucquetus Societatis IESV per Prouinciam Flandro-Belgicam Præpoſitus Prouincialis, vir vti Religione, modeſtiâ, candore, morum comitate, ac aliis animi corporiſque ornamentis à Deo egregiè dotatus, ita quoque doctrinæ ac ſacræ præſertim Litteraturæ laudem ſummam promeritus, quod vel vnus, omnium inſtar, nuper editus liber, cui Via vitæ titulus eſt, populo Chriſtiano vtiliſſimus, omni teſtabitur æuo, De eo hoc cani poſſit:

Sæpiùs in libro memoratur Perſius vno
Quàm leuis in tota Marſus Amazonide.

Carolo hoc Epitaphium Ioannes Secundus Hagienſis, vt dixi, poſuit.

In obitum Ornatiſsimi Adoleſcentis Caroli Sucqueti Flandri Iuriſconſulti eximij Nænia, Ioannes Secundus Hagienſis Poëta canebat.

Triſtia deſleram mendacis munia ſati
Sucqueti miſeram quæ retulêre necem:
Idem veracis deſlebo nuncia Fati,
Dij facerent labor hic vanus, vt ille, foret.
Et noſtras iterum damnaret Fama querelas,
Iret & in iuſtos irrita charta rogos:
Sed nimium veris rumoribus omnia conſtant,
Si qua venit toties Fama, timenda venit.
Dic puer an ne aliquis lethum præſcripſit acerbum?
Et ſi aliquis: quiſnam? dic age, quóve modo?
Littera lugubris Taurina venit ab vrbe
Ah dolor, & fidæ ſunt quoque ſigna manus.

 Quiſquis

Quiſquis es ò vellem Scriptor mendacior eſſes.
Hoc melius quàm quod ſic moreretur, erat.
Sic moreretur amor Charitumque nouemque Dearum
Aſtreæ veteris ſic moreretur amor.
Iret & in cineres tabumque liqueſceret atrum
Quo nihil in vitam venit amabilius,
Seu circumfuſæ ſublimia iura cateruæ
Dictaret celſa conſpicuus cathedra.
Nobile ſeu caneret facili teſtudine carmen,
Siue puellares duceret arte choros;
Siue ſuos inter dulces conuiua Sodales
Mulceret variis facta propinqua modis.
Ergo fatali lex hæc rata ſtat decreto,
Seruiat vt nulli vita fugax domino.
Sed modò præripiat, quem vix conceſſerat vſum
Lenta modò effecto in corpore deſideat.
Sic viuunt homines, quos ægra ſenecta fatigat:
Improba nec poſſunt per ſua vota mori.
Sic Sucquete iaces, & dulci florida vere
Membra ſuperiecta nempè teguntur humo?
Qualia cum rigido pede conculcantur arantis
Lilia fedantur, quo viguêre ſolo.
Nec frater muto perſoluit iuſta ſepulchro,
Nec ſoror, effuſas præſecuitque comas.
Nec longè ante alios infœliciſſima mater
Leniuit morbi tædia longa tui.
Et cùm ſupremæ tetigit confinia metæ,
Ore ſuo vitam carpſit ab ore tuo.
Luminaque occluſit longo damnata ſopore,
Et dixit morti; Cur mihi tarda venis?
Tunc tempeſtiuè poteram migrare ſub vmbras
Charus adhuc natus cum mihi ſaluus erat.

Ille

Ille ſuis manibus noſtros clauſiſſet ocellos,
Roraſſet lachrymis & mea buſta ſuis:
Mollibus & violis ſparſiſſet triſte feretrum,
Dixiſſet cineri verba ſuprema meo.
Talia non queſta eſt genetrix in funere mœſto,
Multa ſed ijs queritur nunc grauiora tamen.
Et vellet partus bona non ſenſiſſe beati,
Et vellet nato iam caruiſſe diu:
Et mallet cœlebs, vt non foret orba, fuiſſe.
Nam mala reſpectu ſunt grauiora boni.
Te quoque credibile eſt opulentas Flandria glebas
Reſperſiſſe vagi fluctibus Oceani.
Vt fleres longè venerandi funus alumni,
Tollere qui poterat nomen in aſtra tuum.
Mitte malas lachrymas, iam nunc tibi nomen ab illo
Flandria, pars melior quâ patet orbis, habes.
Tu modò tu iuuenis vacuum compone ſepulchrum,
In patria maneis & reuocato pios.
At tumulo in viridi quem viuo læta parabas,
Effundat caſtas Laurus opaca comas.
Taleque perpetua celetur carmen in vrna;
Colle ſub hoc nullus membra ſepultus habet.
Hunc tibi vel tumulum poſuit Sucquete vel aram,
Carole ſat fœlix Flandria te genito.
Gentibus Alpinis, mortis conceſſit honorem,
Quiſquis es in longis diſce pericla vijs.

CAROLVS VERMANDERE, natus in Pago Flandriæ cuius nomen Meulebeke, à fluuiolo qui iſthic habens initia per Wacquonium alioſque Pagos in Lizam labitur. Pictor fuit ac Poëta vernaculus, nuperque evulgauit ingens volumen, de veteribus ac modernis claris Pictori-

bus.

bus. Ouidij quoque Metamorphoſin Teutonicam reddidit & explanauit.

Carolvs Rotcasivs Ardenburgenſis IC. & Poëta, Furnenſis Oppidi & agri Penſionarius. Scripſit varia quæ an typis evulgata ſint hactenus neſcio. Inter alia prælo parati, Tractatus opinionum ac reſponſorum iuris, apud hæredes latent.

Carolvs Virvlvs, quaſi homuncionem dicas, Patriâ Caſſletenſis, Gymnaſij Lilienſis Louanij primus Inſtitutor ac Rector, vt ex teſtamenti patet tabulis anno 1493. 6. Februar. conſignatis. Scripſit formulas Epiſtolarum ſuis in Lilio prælectas, excuſas primùm anno 1482. iterum 1493. Item Coloniæ, Pariſiis, & alibi: in quas vt ſęculo illo barbaras ac ridiculas incurrit Eraſmus Libro de conſcribendis Epiſtolis, & Ludouicus Viues Lib. 4. de tradendis diſciplinis, quaſi citò gratiam exuerint. Ex quibus facilè poteſt animaduerti, quæ fuerit infantia Vniuerſitatis Louanienſis. Litterrarum, vt dicã, balbuties, ac barbaries, quæ pulſa paulatim poſtquã Trilingue loqui Collegium cœpit, Hieron. Buſlidij V. Cl. beneficio. Cæterũ Virulus Louanij ſepultus quieſcit apud Canonicos regulares S. Martini in templi Odeio cuius ferè ſolus fundator exſtitit: ſic enim in eius ſepulchro affixũ legitur: Præfuit Pædagogio Lilij cum ſumma gloria ſex & quinquaginta annis, magnus huius Cœnobij, dum vixit, ſuffragator, ac pauperum Eleemoſynarius, Vniuerſitatis quoque Louanienſis in litteris humanis & omni humanitate tunc Decus. Obiit 3. Id. Maij. 1493. ætatis LXXX.

Carolvs Malapertivs Societatis Iesv Sacerdos & Matheſios in Academia Duacena Profeſſor. Poëmata edidit, in quibus & ingenij acumen, & ſtili nitorem obſerues atque approbes, nempè Sediciam Tragœdiam, De ventis Libros II. Chriſtum patientem, Elegiis IX. ac Miſcellanea, Typis Plantini 12. 1616.

Christianvs Cellarivs, Furnenſis, Poeta Græcus & Latinus, Eraſmi tempore vixit eruditione clarus. Scripta reliquit Epitaphia quorundam doctorum Virorum. Edidit & orationem pro Mendicis, Euſtachium Ordinis Fratrum Minorum Generalem, Burchardum, Ioannem ab Indagine, Arnoldum Orydrium & Dominicum à Soto, Theologos imitatus, aduerſus formam ſubuentionis pauperum, à quibuſdam in Flandria Magiſtratibus inſtitutam, quæ tamen vti teſtatur in Conſilio ſuo ſupra memorato Ægidius Wytſius ſaniorem edoctus ſententiam recantauit, ac aliam planè diuerſam edidit hoc nomine: Oratio pro pauperibus, vt eis liceat mendicare. Impreſſit Antuerpiæ Henricus Petri 1530. ait quoque Marchantius eum Louanij Græcas litteras profeſſum.

Clavdivs Carninvs Duacenſis, vir nobilis, & in ſacra non minùs quàm profana litteratura excellens. Scripſit Librum, cui titulus eſt, Oppugnatio turris Babel: ſeu defenſio vtriuſque Politiæ, quæ Eccleſiaſticam & Ciuilem auctoritatem tuetur.

Christianvs Massaevs Hieronymita Cameracenſis natione Flander. Scripſit Grammaticam, Regulas generales

nerales complexus carmine, vti Ioannes Deſpauterius, auus æmulus fuit: Scripſit de titulis Pſalmorum & eorum Auctoribus tractatum eximiè laudatum à Ioanne Trithemio, cum quo ſæpè Maſſæus de ſtudiis ſuis agebat, Epiſtolarum opus ad diuerſos. Item Chronicorum multiplicis Hiſtoriæ vtriuſque teſtamenti Libris viginti ab origine mundi vſque ad annum 1540. In illis libris multa, quæ Hiſtoriam Veteris Teſtamenti concernunt, ad exactiorem normam redegit, alia perperam inuerſa, conciſa, mutilata, lucida, integra ſuoque conſtantia robore reddidit: in conferendis Auctoribus probatiſſimis non parum inſudauit, deſumptis è prima claſſe, quos vel imitaretur, vel ſicubi neceſſum erat, refelleret, adeò vt in collatione temporum, & eorundem vera definitione vix hactenus aliquis inuentus ſit, qui primas huic præripiat. In iis quæ aduentum Saluatoris noſtri ſecuta ſunt, Sanctam & Eccleſiaſticam proſequitur Hiſtoriam. Scripſit prætereà Kalendarium quadruplex, quo ſacræ Litteræ, & earũ interpretes paſſim vſi ſunt, Ægyptium, Hebraicũ, Macedonicum & Romanum contra Iacobum Merlinum, Dialogos quoque & alia. Claruit 1540. De hoc ſic Meyerus noſter in Annalibus in vita Balduini Calui: Chriſtianus Maſſæus in Chronico ſuo Veteris Teſtamẽti, vir diligentiſſimus oriundus eſt à Varneſtuno ad Lizam in Flandria: ſed quia Cameraci longo tempore vitam egit ac Scholę pręfuit, prout etiam Gandaui, Cameracenatem ſe vocat:

Clarauit docto Maſſæus ſæcula ſcripto,
Venturus cupido quod leget ore nepos.
Ergo ſuis fecit qui cuncta laboribus orbi
Candida, Luce pari viuere dignus erit.

CLAV-

Claudius de Rosimbos, Vir Nobilis, I. V. Licent. Poeta, Gallicos verſus in lucem emiſit. extant quædam eius Odæ inter opuſcula Antonij Blondelli Toparchi de Cuinchies.

Claudius D'Ausqueius Audomaropolitanus, ſeu, vt nominat Sanct-Omerius, S. Theol. Licentiatus, Canonicus in D. Virginis apud Neruios, Eccleſiaſtes inſignis, rarâ Græcarum litterarum, & earum à quibus humani verè dicimur & efficimur, cognitione præditus. Vertit è Græco Baſilij Seleucienſis Epiſcopi homilias 44. notiſque pereruditis illuſtrauit, Typis Commelianis 1604. 8. Dedit prætereà notas vberes in Q. Calabri παραλειπόμενα & Cointhi Smyrnei ἁλώσιν. Francofurti apud Aubrios 1614. Editi Pariſiis eiuſdem in Silium Italicum ampli Commentarij in 4. 1618. Itemque Duaci ſcutum duplex cùm B. Virginis in Aſpricolle cultæ frequenti Belgarum concurſu, tum Iuſti Lipſij ſcutum aduerſus Agricolam Thiacum Scotum origine 1610. 8. Typis Ioannis Bogardi.

N. Cobbautius Alostanus, ſcripſit Pharetram amoris. Aloſtanus item quidam Paſtor in Stabrouck Verſu Heroico ſcripſit de turbis Aloſtanis.

Cornelius Livardus Meſſinenſis Theologus & Poëta à Marchantio in eiuſdem loci deſcriptione memoratus.

Cornelius Duplicius Scepperus. De eo ſic Dionyſius Harduinus: Quo genere Encomij, quibúſve laudibus ſatis dignè proſequar Cornelium Scepperum virum maximum? quem beneuolo conſpirantium ſiderum concurſu in hanc vitalem auram editum nemo eſt qui negare poſſit. Is

 enim

enim cùm nullis ſanguinis fortunæuè auitæ dotibus clarus eſſet omnibus propemodũ Europæ populis innotuit. Dunkerckæ in lucem editus N. Sceppero mercatore & Giſlenâ Ciuoriâ Dunkerckanis vtriſq; parentibus, & ab iis Curioni Ekelsbekano patruo, viro docto ac religioſo traditus ad erudiendum, nullum liberalioris artis genus eſt, quo non fuerit exquiſitè cultus. Iamque Grammaticorum faſtidioſis regulis probè cognitis, Poëtarumque fabulis ac Rhetorum floſculis perceptis, in Academiam Pariſienſem miſſus ad Dialecticorum argutias & arcana Phyſicæ inueſtiganda, primus in promotione, vt dicant, Vniuerſitatis euaſit. Ibi poſteà ſic Mathematicas Apodixes, Aſtrorumq; motus ac terrarum dimenſiones, & quidquid vndique & hiſtoriam aut veterum aut recentium imbibit, vt omnes in ſui traheret admirationem, quibus Ornamentis parem vtriuſque linguæ peritiam adiunxit. Contendebat & ingenti curâ ad faſtigium gloriæ, ad quod Encyclopediæ abſolutâ periodo ſe peruenire poſſe intelligebat. Ex vmbratilibus Academiarum ſtudiis domum reuerſus, animum ad Rempub. virtutibus ſuis ac ingenio ſingulari iuuandam adplicuit, ac Chriſtierno Regi Daniæ primùm innoteſcens, illi à ſecretis fuit, dein in patriam reuerſus, Carolo V. Imperatori, ac complurium linguarum exacta notitia, & plus quàm ſenili prudentia cõmendatus Orator de rebus grauiſſimis miſſus eſt, primùm quidem ad eundem Chriſtiernum Daniæ Regem, deinde ad Sigiſmundum Poloniæ, ad. Franciſcum Galliæ, ad Ioannem Vauiodam, Tranſiluanum, denique 1546. ad Regem Angliæ, bis etiam ad Solymanum Turcorum Principem, ita vt Paulus Iouius in ſuis Elogiis non dubitet ſcribere, Ipſum eruditi ingenij pondere, in tantis tamque honorificis ad tam varios Principes Legationibus, ac illuſtri totius Europæ peregrinatione celebratum Cæſarem eum

virtutis

virtutis & rerum feliciter geſtarum ergò, equeſtri baltheo ornaſſe. Regina Hungariæ Maria in Conſiliarium adoptauit, & numero domeſticorum adſcripſit. Demum Cæſar in ſecretius Concilium ſuum, & id quod Status dicitur, adlegit: vbi illuſtris & integri Senatoris nomen adeptus, illud illæſum, dũ ſuperſtes fuit, conſeruauit; nec politicis tantùm virtutibus & eruditione quam diximus, præſtitit, ſed ingenij quoq; ſui monumenta in publicum emiſit. Extant enim aſſertionum fidei libri, quos aduerſus Aſtrologos ſcripſit, optimè rem Aſtrologicam docens, & ad exemplum Ioannis Pici Mirandulani Aſtrologorum errores in iudiciis & diuinationibus oſtendens. Orationes inſuper aliquot quodlibeticæ, iucundâ rerum varietate diſtinctæ, Louanij habitæ, prodierunt. Carmina item multa variique generis Epitaphia, ac vnum inter alia elegans, in mortem Sereniſſimæ Principis Iſabellæ Daniæ, Sueciæ ac Noruegiæ Reginæ, Caroli V. ſororis, quæ ad Zvvynardam Abbatis Blandinienſis nobilem villam iuxta Gandauum morbo decumbens, in brachiis Scepperi ſuſtinentis exſpirauit. Elegiaco verſu, quod Ioannes Graphæus excudit, ac in Monaſterio Blandinienſi etiamnum legitur Diarium Legationis ad Cæſarem Conſtantinopolitanum factæ, apud me mſc. habeo. Venam ſanè fluentem facilemque laudauit Eraſmus Roterodamus in Dialogo Ciceroniano, vbi honeſtiſſimam eius mentionem faciens, ita ſcribit: Scepperus præterquam quòd in omni diſciplinarum genere verſatus eſt, pari facultate & ſolutam orationem texit & carmen, quanquam iam diu fabulam agit motoriam. Iſtius fabulæ ſiue Legationum Ephemerides etiam Scepperus ſcripſit, quæ quia multiplici rerum cognitione ſcatent, publico bono in lucem dentur.

Grande dedit fidei documentum, grande laboris
Scepperus, profuturam dum comitatur Heram.
Grandius at animi doctrinâ nobilis, alto
Cum Cicerone tonans, digna Marone canens.

CORNELIVS COLONAEVS, vulgò van Ceulen, vir doctus, Presbyter & Paſtor Eccleſiæ Vliſtenſis in Flandria, vertit eleganter in Flandricum Idioma, homiliam S. Ioannis Chryſoſtomi conſolatoriam in omni aduerſa fortuna, vbi docetur, neminem lædi niſi à ſeipſo.

CORNELIVS MVENIXIVS Oſtendanus, IC. & in Concilio Mechlinienſi Senator fuit. à Iacobo Marchantio memoratur in eius opidi deſcriptione.

CORNELIVS SCRIBONIVS GRAPHAEVS, Aloſti natus, auctore Ludouico Guicciardino in ſua Belgij deſcriptione, ſed Antuerpianâ ciuitate donatus, eius vrbis Scriba fuit, vir celebris eruditionis, in humanioribus litteris adprimè verſatus, Poëta & Cantor eximius, ac variarum linguarum peritiſſimus, & fuit Alexander Scribonius Graphęus eius propinquus IC. ac Antiquitatum ſtudioſiſſimus. Scripſit Cornelius ad optimam Heroidem Mariam Hungariæ Reginam ſacrorum Bucolicorum Eclogas tres. Exſtat & eius congratulatio verſibus heroicis ſcripta, D. Carolo V. Imperat. Cæſari ſemper Auguſto, anno 1540. ex Hiſpania per medias Gallias in Patriam reduci. Item pro felice eiuſdem Principis per Britanniam in Patriam reditu. Pacis item inter Carolum V. Imperatorem, & Franciſcum Primum Galliarum Regem ad aquas mortuas initæ deſcriptio. omnia hæc heroico pede conſtant. Conflagratio item Templi 1533. beatæ MARIAE Antuerpienſis, eodem pede euulgata eſt,

eſt, ac monſtrum Anabaptiſticum in rei Chriſtianæ perniciem natum. Scripſit item introitum felicem Philippi Hiſpaniarum Principis in vrbem Antuerpienſem 1549 qua in deſcriptione pegmata omnemque adparatum ac pompam illius ciuitatis copioſe declarauit. Edidit & formulas Colloquiorum è Terentij Comœdiis ſelectas, & in Germanicam Linguam verſas. Eiuſdem Scribonij deſcriptio legitur Senatus Antuerp. a Carolo Quinto 1541. inſtituti. Collegit & quaſdam præceptiones cum Petro Ægidio, viro itidem doctiſſimo, e veterum Libris ad docendos Principes & Magiſtratus, quâ ratione Reſp. feliciſſimè gubernari queant: quibus titulus eſt, Enchiridion Principis ac Magiſtratus Chriſtiani, de Principum Pietate, Prudentia, Iuſtitia, Clementia, Veritate, Munificentia, Eruditione, ac voluptatum cõtemptu, Coloniæ 1541. Inter Mortales eſſe deſijt 1558. in Cathedrali Eccleſia ſepultus. Eius ibidem Epitaphium albo lapidi inciſum, ſic legitur:

Corn. Scrib. Graphęus, præclaræ huius Vrbis à Secretis ſibi ſuiſque & Hadrianæ Philippę dulciſſimæ vxori viuens, poſuit. Ipſa quidem vixit annis LXXI. deceſſit autem XVII. Auguſti 1556. vno & quadraginta annis marita, Matrona & prudentiſſima & pietatis cultrix eximia. Ille verò caram ſecutus conjugem, migrauit XIX. Decembris M. D. LVIII. cùm vixiſſet annos LXXVI.

CYPRIANVS DE RORE Muſicus, cuius & Parmæ in Longobardia huiuſmodi in Eccleſia Cathedrali Epitaphiu.

Cypriano Rori, Frandro, artis Muſicæ viro omnium peritiſſimo, cuius nomen famaque, nec vetuſtate obrui, nec obliuione poterit deleri, Herculis Ferra-

rienſis Ducis 2. deinde Venetorum, poſtremò Octauij Farneſij Parmenſis & Placentiæ Ducis 2. Chori Præfecto Ludou. frat. fil. & hæredes mœſtiſſimi PP. Obiit anno 1565. ætatis verò ſuæ XLIX.

CYPRIANVS CORNELIVS GRAPHAEVS Aloſtanus, Poemata quædam edidit Lutetiæ, Aſcenſij typis, vt & vitam S. Gulielmi Carmine ad Gulielmum Cardinalem Croium. An idem cum Cornelio Graphæo, dubitat in ſua Bibliotheca Valerius.

DAMIANVS RELIGIOSVS NINIVENSIS, Arnoldi, qui ad annum 1190. Abbas eiuſdem Monaſterij obiit, frater. Vir, ait Chronicon Ordinis Præmonſtratenſis, adeò in litteratura ac præcipuè in Muſica excelluit: vt Sanctorum Laudes ſeu Officia ab ipſo compoſita, & muſicis notis adornata, certatim à vicinis expeterentur & decantarentur. Vidi, inquit ille, nempè Miræus Chronici Auctor, elegantiſſimum SS. Cornelij & Cypriani martyrum Officium ab eodem compoſitum, quod hodieque Niniuenſes Religioſi per Octauam decantant.

DOMINICVS dictus de FLANDRIA, Ordinis FF. Prædicatorum, S. Theol. Doctor clariſſimus. Scripſit Quæſtiones Metaphyſicas, quæſtiones de Anima, item ſuper Libros Poſteriorum, quæſtiones item in Commentaria S. Thomæ Aquinatis ad Elenchos Ariſtotelis.

DOMINICVS BAVDIVS INSVLENSIS, Poëta, Orator & Hiſtoricus. Eloquentiam & hiſtoriam in Academia Lugduno-Batauа profeſſus eſt. Docuit & ibidem Ius Romanum. Obiit anno 1613. Aug. 13. funeratus in æde S. Petri ſacra.

Scripta

Scripta ab eo edita, hæc ſunt; De Indiciis belli Belgici libri tres, Poemata varia, Monita Ciuilis ſapientiæ verſibus Iambicis. Oratio ad Studioſos Leydenſes ob cædem Commilitonis tumultuantes. Oratio in obitum Ioſephi Scaligeri, Epiſtolarum Centuriæ duæ. Pulchrè de eo Bonauentura Vulcanus:

Siue Epos, aut Elegos, teretes vel pangit Iambos;
Seu ſale conditum aut melle epigramma facit.
Siue aliâ quâuis numerorum ludere lege,
Viuidaque ingenij didere dona iuuat,
Seria multa iocis miſcens, atque vtile dulci,
Punctum inter vates Baudius omne tulit.

Dominicvs Cacaertvs Teneramundanus I.V.Doct. Scripſit quędam de materia Legatorum, quę tamen in manus meas hactenus non inciderunt. Mortuus & tumulatus Louanij, in Monaſterio Franciſcanorum, ante ſummam Aram. Vir iuſtus ac pius fuit, ac multis annis ſacros Canones primarius Legum Profeſſor, prælegit.

Drogo Monachvs & Sacerdos Giſtellanus Flander. Scripſit ad Ratbodonem Epiſcopum Nouionienſem, vitam ac mortem ſanctæ Chriſti martyris Godeleuæ, anno 1070. ſtrangulatæ per duos famulos Bertulphi Giſtellani iuſſu, ipſius Bertulphi mariti Godeleuæ à matre mariti infeſta irritati in vxorem formoſam quidē ac nobili ſtemmate Lonfordio ortam, ſed illecebrarum negligentem, & pietati charitatiq; nihil anteponentē. Vide de hac re Ioannē Molanum in natalibus Sanctorum Belgij ad diem 6. Iulij. Drogonis hiſtoriā Tomis ſuis inſeruit Surius. Drogonem etiā memorat M. Antonius Delrio lib. 6. diſquiſitionū Magicarum c. 2. ſect. 1. q. 2. *Drogonis* quoq; è Bergenſi Monacho Morinorum

Epiſcopi

Epiſcopi memorantur duo ſermones de S. Oſwaldo Rege. Vide eundem Molanum ad diem quintam Auguſti.

Dionysivs Villerivs, Tornaci Neruiorum in D. Virginis Canonicus & Cancellarius, concinnauit *Officium proprium SS. Patronorum Eccleſiæ Tornacenſis*, Duaci editum 1591. 8. Vir fuit antiquitatis omnis, præſertim quæ in nummis eſt Romanorum, admodum curioſus & gnarus. Indicio huius rei domus erat, quam habebat, cimeliorum ac librorum generis omnis locuples theſaurus, & velut ſpirans Bibliotheca. Vtinam quę de familiis Principum ac Nobilium Belgij, deque Genealogiis eorundem moliebatur, lucem aliquando videant!

S. Eligivs Epiſcopus Nouiomenſis & Tornacenſis, Sermones quoſdam ſcripſiſſe creditur, qui exſtant in Bibliotheca PP. 2. 3. & 4. editionis. Obiit anno Domini 666. Teſte Sigeberto in Chronico. Vitam eius ſcripſit Odoenus Dado Epiſcopus Rothomagenſis apud Surium die prima Decembris.

S. Elevtherivs Epiſcopus tertius Tornacenſis, apud Neruios natus eſt Tornaci, Sereno & Blandâ parentibus Chriſtianis, ac multa à Paganis pro Chriſto paſſus fuit; nam & bis Romam propter fidei negotia profectus memoratur, & Synodum contra Acephalos hæreticos celebrauit. Scripſit Sermones de Sancta Trinitate, de Incarnatione Chriſti, de Natiuitate Domini, de Annunciatione Dominica, quæ omnia mſc. exſtant Tornaci, ad ſanctum Martinum, & pleraque in Monaſterio Bonæ Spei apud Hannones. Vitam eius ſcripſit Guibertus de Tornaco, Ordinis Minorum Doctor Theologus mſc. ibidem hoc initio: Reuerendo

rendo Patri ac Domino Ioanni. Legitur alia apud Surium 20. Febr. fortè Henrico à Gandano auctore.

Edvardvs Westonvs vrbem Londinenſem in Anglia natalitiam habuit, in qua teneriorem ætatem exegit. Deinde Oxoniũ ad liberales artes capeſſendas, circa annum ætatis decimumquartum miſſus, quinquennium plus minus illic in melioribus diſciplinis poſuit. Quo tranſacto tempore ingruit contra Catholicam Religionẽ grauis perſecutionis tempeſtas. Is itaque vt fidem auitam, quam vſq; ad id tempus ſanctè coluerat, integram conſeruaret, exilium exiliens voluntarium, in Galliam ad Anglorum Rhemenſe Collegium ſe contulit, & poſt paucos menſes inde Romam perrexit, atque ibidem in Seminarium Anglorum receptus eſt; vbi eum cognoui. Ibi partim in Philoſophicis, partim in Theologicis diſciplinis ſex & eo amplius annos poſuit. Emenſiſque ſtudiorum ſpatiis, antequam Italiam relinqueret, in ciuitate & Academia Montis Realis Theologici Doctoratus Laureâ donatus eſt. Rhemos in Galliam rediens, & paulò pòſt inde Duacum in Belgio profectus, in Anglorum ibidem Seminario ferè ad decennium ſacram Theologiam profeſſus eſt. Deinde in Angliam ad Verbum Dei prædicandum, & animas conuertendas ſe contulit, vbi forſitan adhuc agit. Scripſit intereà Latinè: De triplici hominis officio, libros tres. Quoniam omnis qui in h umana. Ita de illo hactenus Ioannes Pithæus in ſuo de illuſtribus Angliæ Scriptoribus volumine ad annum Chriſti 1611. à quo tempore idem Weſtonus parat Tractatum ad Carolum Walliæ Principem de principiis dogmaticis vtriuſque Politiæ tum ſacræ tum profanæ.

Ferdinandvs a Lichtervelde, Nobili ſtirpe ge-

nitus, filius clariſſimi doctiſſimique viri Ioannis à Lichtervelde Domini de Beaurenart, Conſiliarij & Cubicularij Regij, ac ſupremi per Flandriam Prætoris, Muſis amicus, ſuperioribus annis pulchra quædã ſua typis Carmina euulgauit.

FRANCISCVS DE BAR, Prior Cænobij Aquicinctini. Scripſit de Antiquitatibus Belgicis ampliſſimè. Locrius.

FLORENTIVS VANDER HAER Louanienſis, Origine Vltraiectinus, ſed Canonicus & Theſaurarius Inſulenſis, iuuenis Cornelium Valerium Doctorem Louanij habuit & bonis in litteris inſtitutorem. Scripſit eleganter ac fideliſſimè de Initiis tumultuum Belgicorum, lib. 2. Duaci apud Bogardum, 8. Item Antiquitatum Liturgicarum arcana, ex Scriptoribus partim editis, partim ineditis concinnauit, quod opus vberrimum Concionatoribus & Paſtoribus eſt Promptuarium, typis editum Bellerianis Duaci 1603. Tom. 3. Eſſe verò Florentium vander Haer, harum Antiquitatum auctorem ac collectorem, cùm nomen ipſe ſuum ſupprimi voluerit, conſtat vel ex præfationis ad Lectorẽ clauſula: Vale Lector, & auctori tam floridè & tantũ caſtis aris addicto, quantum ab inceſtis haris alieno faue. Poſtremò euulgauit Gallicè de Caſtellania Inſulenſi, librum, in quo multa de ſtatu, officio & familia Caſtellanorum dicti loci, item de ſtatu Comitum ſub Romanis, Gothis, Burgundis, Francis, Inſulis 11. 4.

FRANCISCVS AMELRIVS Iprenſis, Theologus, inter claros eius vrbis viros recenſetur à Iacobo Marchantio.

FRANCISCVS BAVDIMONTIVS, Dixmudanus Poëta, compoſuit Elegias aliquot, quæ operibus Iacobi Sluperij ſunt inſertæ.

FRAN-

FRANCISCVS CARLIER Tornacenſis, Poëta Gallicus, Lyricos verſus in lucem emiſit anno 1566. Extant eius aliquot odæ inter opuſcula Antonij Blondellij Toparchæ Cuinchiani.

FRANCISCVS CÆSAR Dixmudanus, memoratur à Meyero lib. 10. Annaliũ in Guidone Dampetra, & à Iacobo Marchantio in Flandrię deſcriptione, aiuntq; eum circa annum Domini 1293. famigeratum fuiſſe Theologum, & libros Magiſtri Sententiarum in Academia Pariſienſi enarraſſe.

FRANCISCVS DE LATTRE Dominus d'Oudenhoue Legũ Licentiatus & Canonicus S. Amati Duacẽſis, è Latino Gallicum fecit librũ P. Gerardi, cui titulus, Doctrina cordis. Impreſſit Duaci Balthazar Bellerus 1601. Gazæus.

FRANCISCVS DE NEVVILLE Abbas Gerardimontenſis. Scripſit librum de perſonis illuſtribus ex ſtirpe genealogica Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pariſiis 1577. Gazæus.

FRANCISCVS HAEMVS Inſulanus, Poëta nitore ſtyli ac doctrinæ vbertate clarus. Varia Poemata emiſit ex Officina Plantiniana 1578. Ioanni Loæo Præpoſito Euerſamienſi dedicata. Inter ea ſunt, ſacrorum Hymnorum lib. 2. ac ſylua variorum Carminum funebrum lib. 2. & Miſcellaneorum lib. 3. Scripſit & Carmine fortuitum vrbis Inſulenſis incendium 1545. 3. Non. Septembris.

FRANCISCVS HOVTEMIVS Iprenſis Langhmarcæui elegans Poëta. Luſit quædam, quæ inter Poemata Iacobi Sluperij extant.

FRANCISCVS MOSTARDVS Pictor celebris, in Oppido Hulſtenſi natus, magnis à Carolo Vermanderio laudibus effertur. Eius inprimis induſtria emicuit in depingendis camporum, ſyluarum, arborum, cæterarumque agreſtium rerum imaginibus.

FRANCISCVS NANSEVS, IC. omniſque Antiquitatis amantiſſimus pariter ac peritiſſimus, emiſit elegans admodum Carmen Græcum, quod Iulio Cæſari Goltziano præfigitur. idem commentatus eſt librum περὶ ἑρμηνείας & Nonnum Panopolitam, qui, Carmine Græco, paraphraſin ſcripſit Euangelij S. Ioannis, emendauit & Latinè vertit. De hoc ita Lipſius Epiſt. 40. Centuriæ ſecundæ ad ipſum Nanſeū. Nonnum tuum remitto lectum à me cum voluptate. Ipſe Poeta mirificus (vt res quidem illa & verſio patitur) & tu cenſor in eo emendando, at defectus quos in eo ſupples iam non defectus, cùm tam fœlici & pari venâ Carmina addideris tua, nec tua; Nonnum enim totum ſpirant, quem concoxiſti, perge & ede ego ſuadeo. Prodiit itaque Nonnus eius ex Officina Plantiniana Raphelengij Lugduni Batauorum. Fuit Nanſeus Franconatium Senator.

FRANCISCVS POLLETVS Duacenſis IC. adoleſcentiâ in variis Academiis ſtudiorum ergò peractâ, in quibus non mediocre eruditionis ſuæ ſpecimen edidit, præſertim in ampliſſimo ſtudiorum palladio Pariſino, vbi cùm publicè tum priuatim docendo ſe per annos aliquot exercuit frequente auditorum corona, tandem ad ſuos Duacum reuerſus, vxorem duxit, & Patronus cauſſarum, deinde Decurio factus eſt. Scripſit hiſtoriam fori Romani, quam illuſtratam & Corollariis auctam edi iuſſit Philippus Brocdeus Polleti gener IC. Duaci & Orchiarum Propræfectus, ac Prima-

Primarius tandem in eadem Academia Legum Doctor. Promittit Polletus L. 1. cap. 10. dicti operis ſui libellum, de menſis veterum, poculis item ac Cyatlus, quorum apud eos vſus fuit. Meditatus etiam dicitur quæ ad Politiam & Reip. reformationem ſpectabant, quin etiam abuſuum quorundam, quos in Curiam Decurionum Patriæ ſuæ & praxin irrepſiſſe animaduertebat, corrigendorum auctor fuit. Hominem ad maiora natum mors inuida intercepit. Vix enim annos 30. natus, obiit. Antiquitatis ſtudioſiſſimus fuit.

Franciscvs Regivs Flander, Theologus Ord. S. Franciſci & Prędicator Cęſaris Caroli V. Scripſit Cōmentarium Gallicè in Orationem Dominicam, Sermones item aliquos, qui mſc. ſeruantur in variis eius Ordinis Cœnobiis. Vixit anno 1540. Gazæus.

Franciscvs Regnardvs Duacenſis, Symphoniacus Eccleſiæ Cathedralis B. Mariæ Virginis Tornacenſis. Compoſuit anno 1573. quinquaginta Cantilenas Muſicas, quæ quatuor aut quinque partibus canuntur tam voce quàm inſtrumentis muſicalibus. Duaci impreſſit Ioannes Bogardus 1575.

Franciscvs Rosa Belliolanus I C. φιλοσοφώτατος ϗ πρακτικώτατος ſubceſſiuis horis epigrammata multo condita lepore ſcripſit. Primùm Procurator Flandrię, generalis exin Conciliarius, poſtremò in ſuprema Mechlinienſium Curia Senator fuit, Vir grauis, eruditus ac modeſtus, ac de Repub. Belgica bene meritus.

Franciscvs Rvevs Inſulanus Medicus. Scripſit libros duos de virtutibus Gemmarum, earundemque proprieta-

tibus, quarum in Apocalypſi mentio, & aliarum quarum hoc æuo vſus, variis locis editi ſunt.

FRANCISCVS RAPHELENGIVS, natus Lanoij ditionis Inſulanæ opido 1539. 27. Februarij, Gandaui & Norimbergæ (quò patre vitâ functo mercaturæ gratiâ miſſus erat) litterarum prima iecit fundamenta. Lutetiæ Pariſiorum Græcam atque Hebraicam linguam didicit, atque illam Cantaburgiæ in Anglia iuuenis docuit, Antuerpiæ 1565. ducta Margareta Chriſtophori Plantini filia in partem Typographiæ venit. Vir fuit in Hebræis, Chaldæis, Arabicis iuxtà, ac Græcis Latiniſque exercitatus, maturo iudicio, ſagaci ingenio, forma ipſa faciei aliquid etiam πολυγλώττου præ ſe ferens, præclaram atque immortalem, Bibliis Regiis ſoceri typis adornandis, vnà cum Benedicto Aria-montano, Guidone Fabricio, & Andrea Maſio operam nauauit. ad quorum inſtructionem dedit in apparatu Biblico edita, Grammaticam Hebræam ex optimis quibuſque Grammaticis cum iudicio & cura collectam, Epitomen Theſauri Linguæ Hebrææ notis Pagnini auctam & recenſitam, varias Lectiones & emendationes in Chaldaicam Bibliorum Paraphraſim, Dictionarium Chaldaicum, vocum earum quæ paſſim in Bibliis reperiuntur, à morte editum eſt 1613. Typis Raphelengianis Lexicon Arabicum cum Thomæ Erpenij notis. Conſcripſerat etiam vſui ſuo Lexicon Perſicum vocabulorum quæ in Pentateucho, item obſeruationes linguæ Hebraicæ & tabulas in Grammaticam Arabicam, & alia, ſed quæ edi noluit. Obiit Lugduni Batauorum 1597. Linguæ Hebraicæ ibidem Profeſſor.

FRANCISCVS SYLVIVS S. Theologiæ Doctor ac regius in

in Academia Duacenſi Profeſſor, ibique Collegiatæ Eccleſiæ S. Amati Decanus. Edidit hactenus librum de motione primi Motoris. Prodiit & eius induſtria liber ſententiarum ex ſacris litteris & antiquis Eccleſiæ Doctoribus collectarum, de ſtatu hominis poſt peccatum, bis editus. eiuſdem leguntur Orationes Theologicæ quatuordecim. In iis vna eſt hoc argumento, Quomodo B. Virgo Deipara cunctas hæreſes ſola interemerit, eruditionis ac pietatis plena, dicta in Scholis Theologicis 10. Decembris 1619. cùm in eadem Academia gradu Licentiæ donaret. Commentarius item ſuccinctus ac eruditus in tertiam partem & ſupplementum S. Thomæ, qui, Typis etiam Duacenſibus bis excuſus, manibus Studioſorum teritur. Plura ab vbere eius, ab ſubtili ingenio in dies expectantur.

Franciscvs Thorivs Belliolanus, Poëta, Medicus & Mathematicus, Vir adprimè doctus, & Dionyſio Harduino Pariſiis 1562. perquàm familiaris. Explanationem Ioannis Straſelij aureorum Carminum Pythagoræ in lucem edidit, & Epiſtolam libello præfixit, qui impreſſus eſt Pariſiis anno 1562. Idem Satyras quaſdam ſcripſit & Epigrammata.

Franciscvs Vervort, Prouincialis Ordinis S. Franciſci in inferiore Germania. Scripſit Flandricè librum de amore Dei, cui titulus: Veſtis nuptialis, quem illuſtrauit Henricus Pepin itidem Miniſter eiuſdem Prouinciæ. Gazæus.

Liber Secundus.

GASPAR DE BAVINCOVRT Atrebatenſis, Eques Hieroſolymitanus, primùm Monachus Aquicinctinus, & dein Abbas Monaſterij Diui Petri Oudenburgenſis iuxta Brugas, Vir plurium linguarum, vti Græcæ, Latinæ, Gallicæ, Flandricæ, Hiſpanicæ, & Italicæ peritus fuit. plures libros de Itinere Hieroſolymitano & Montis Sinai mſc. reliquit. Librum item Sermonum ad Fratres; etiam de Arithmetica librum vnum, de notitia ſua librum vnum verſibus Gallicis, item de prædeſtinatione librum vnum verſibus quoque Gallicis, quos duos poſteriores Iacobus Pamelius, vir eruditiſſimus Canonicus tum Brugenſis approbauit, qui lucem aſpexiſſent, ſi mors auctoris, anno 1576. non interueniſſet.

GASPAR HEVINCK Pictor Aldenardenſis clari nominis fuit. Vixit in Italia aliquandiu apud Pictorem Ducis Mantuani Coſſa. Eius cum laude mentionem facit Carolus Vermanderius.

GASPAR NEMIVS Presbyter S. Th. Doctor, & in Academia Duacena regius ordinariuſque Profeſſor, ac Seminarij Regij Paſtorum ibidem Præſes, vir egregiâ diuinarum litterarum cognitione præditus. Edidit nuper Notationes in vniuerſa Biblia Gulielmi Eſtij Theologi hoc æuo clariſſimi, quas Illuſtriſſimo Cameracenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo Henrico Franciſco vander Burch inſcripſit. Inſignem quoque nauauit operam in euulgando eiuſdem in Magiſtrum Sententiarum Commentario. varias item hactenus & luculentas,

culentas, tum in quodlibeticis, vt aiunt, quæſtionibus, tum alias dixit orationes. Plura poſterior oſtendet dies.

GEORGIVS CABILLAV, Aldenardenſis, Religioſus Abbatiæ S. Petri Aldenburgenſis Ord. S. Benedicti. Scripſit Hiſtoriam eiuſdem Cœnobij à prima Vrbis ædificatione & deſtructione eiuſdem per Attilam, & poſteà per Normannos ad annum 1570. Seruatur ea mſc. teſte Gazæo.

GEORGIVS CASSANDER, natus in Inſula Flandriæ fertiliſſima, vulgò Cadſant, vnde Caſſander dictus, magnis laudum honoribus, vt ait Harduinus extollendus videtur: quia ſuæ ætatis Scriptores omnes, Flandros, Lucubrationum vbertate ſuperauit. Grammaticus & Rhetor inſignis, Hiſtoricus eximius. Sunt qui & inter Theologiæ peritos ei locum dare velint, alij aliter de eo ſentientes dicunt; quòd dum priuatâ diſcuſſione Catholicorum & Hæreticorum ſcripta indiſcriminatim lectitat, non ſatis ſolidam nec ſinceram Theologicæ profeſſionis eruditionem conſecutus ſit, quodque hæreſios notam vix effugerit. Publicauit magna nominis ſui fama quæ ſequuntur, Orationem panegyricam in Laudem Vrbis Brugarum inſtituit recèns in ea vrbe à Ioanne Albio eiuſdem vrbis ciue, & Epiſcopo Lubenſi ſtudiorum humanitatis lectione publica, Gandaui 1541. Tabulas breues in præceptiones Rhetoricas. Tabulas pręceptionum Dialecticarum & locorum Dialecticorum. De viris illuſtribus in ſacris Bibliis vſque ad Regum Hiſtoriam, Coloniæ 1550. Prætereà Scriptori de viris illuſtribus, ſiue Plinio, ſiue Cornelio Nepoti, aut Aurelio Victori, adjecit illuſtrium aliquot geſta qui ante Procam & cum Pompeio fuerunt, Coloniæ apud

De hoc vide Valeriũ & Calledium.

H Gymni-

Gymnicum 1549. Euulgauit quoque primus Honorij de prædeſtinatione & libero arbitrio Dialogum, ſed quem ſuppoſititiũ opinantur ac malę fidei, reperto iam in Tongerloenſis Abbatiæ Bibliotheca à Ioanne Conen S. Th. Licentiato, & edito germano Honorij partu. Addidit Caſſander binas Epiſtolas ad B. Auguſtinũ de reliquijs Pelagianæ hæreſeos ex veteribus Codd. recognitas Coloniæ apud Syluium. Item B. Viglij Martyris & Epiſcopi Tridentini opera edidit: in quibus diſputationẽ inter Sabellium, Photium, Arrium & Athanaſiũ auctori ſuo vendicauit. & adjecit Cõmentariũ de duabus in Chriſto naturis & vnica Hypoſtaſi, aduerſus præcipuas hujus temporis hæreſes, Col. 1555. Sequentia etiam Theologica ſunt pleraq; notata à Cenſoribus, ac cautè proindè legenda: De Baptiſmo Infantium teſtimoniũ veterũ Eccleſiaſticorũ Scriptorum, &c. Iterũ de eodẽ Baptiſmo, doctrina Eccleſiæ de origine Anabaptiſticę ſectę. Liturgica de ritu ac ordine Dominicę Cœnæ celebrandæ, collecta è variis Sriptoribus. Coloniæ typis Birckmanni. Ordo Romanus de officio Miſſæ. Preces Eccleſiaſticæ, quę Collectæ vulgò dicuntur. De officio pij ac publicæ tranquillitatis verè amantis viri in hoc religionis diſſidio. In quem vt neutris placentem, de Catholicis Ioannes Heſſelius Theologus Louanienſis ſcripſit typis Plantinianis, & de hæreticis Ioannes Caluinus ratus Franciſci Bulduini Atrebatis opus id eſſe. Defenſio inſontis Libelli, de pij viri officio nomine Verani Modeſti Pacimontani. De articulis religionis inter Catholicos & Proteſtantes controuerſis conſideratio, cum præfatione ad Ferdinandũ & Maxæm. II. Imper. De ſacra Communione Chriſtiani populi in vtraq; panis & vini ſpecie conſideratio. Epiſtolæ eius CXVII. nunc primũ editæ. Acta colloquij Caſſandri cum duobus Anabaptiſtis anno 1558. & 1565.

Tra-

Traditionum veteris Eccleſiæ & SS. Patrum defenſio aduerſus Caluini criminationes, itẽ reſponſio. Hymnos eius Eccleſiaſticos & in eos annotationes Cenſores Belgici repurgarunt, atque hæc ferè omnia, licet non eo ordine, quo hîc recitata ſunt, vno tomo Pariſienſes ediderunt in fol. 1616. nõ viſa tamẽ Pariſijs ſupputatio rej nummarię Rom. ac Græcorũ ad monetã Flandricam Gandaui. 8. & de arte concionandi Liber. Deceſſit an. 1566. III. Non. Feb. ætatis LII. Conditus in æde ſacra Franciſcanorum, Epitaphio à Cornelio Gualtero Gandauenſi Canonico Gandaui populari ſtudiorum eius ac peregrinationũ ſocio & indiuiduo comite ornatus. quò à Ferdinando Primo & Max. II. de conciliandis articulis in Religione controuerſis cõſultum Caſſandrum & in aulam aſcitum refert, verùm propter Podagricos dolores ſuſcipere eò iter prohibitum.

Georgivs Colvenerivs, S. Th. Doctor & in Academia Duacenſi Primarius Profeſſor, ad D. Petri Præpoſitus, atq; eo nomine eiuſdẽ Vniuerſitatis Cancellarius, vir vndequaq; doctiſſimus, & in erudiẽdis colligendiſq; antiquitatis atq; Hiſtorię Eccleſiaſticę reliquiis diligẽtiſſimus. Et ſi in Gempenſi Brabantiæ vico iuxta Louanium natus, à puero tamẽ Aloſti in Flandria educatus, maluit ſe Aloſtanũ ſcribere. Martis primùm caſtra ſecutus, mox Mineruę nomẽ dedit. Edidit Synopſin rerũ Eccleſiaſticarũ Eduardi Riothoni à ſe auctam. Notas item variâ eruditione plenas in Libros duos Thomæ Cantipratani de apibus ſeu exemplis, cum præfixa eiuſdem auctoris vita. Item Formicarium Ioannis Nider cum vita eiuſdem, Chronicon Cameracenſe & Atrebatenſe Alberici Epiſcopi Nouiomenſis & Tornacenſis cum notis, quę Libri quantitatem exæquant. Flodoardi Remenſis Hiſtoriæ Libros quatuor cum Scholijs, vita eiuſdem, & Catalogo omnium Archiepiſcoporum

Remenſium ad pręſentem diem. Hic ſecundò editus eſt à Germanis in Bibliotheca veterum Patrum Margarini de la vigne quartæ editionis. Miracula ccx. Confraternitatis vii. Dolorum Sacratiſſimæ Virginis Mariæ, vnà cum ortu & progreſſu eiuſdem Confraternitatis, adiecto proprio officio & aliis quibuſdam.

Georgivs de la Hele, apud Inſignem B. Mariæ Virginis Eccleſiam Cathedralem Tornacenſem Phonaſcus, in folio regali edidit Miſſas, 5. 6. 7. & 8. vocum. Impreſſit Antuerpię Chriſtophorus Plantinus.

Georgivs Robinvs Iprenſis, elegantiſſimus & ſummi nominis, vt Harduinus ait, Sculptor, à Georgio Vaſaro memoratur, vltimo Volumine Commentariorũ ſuorum de claris Pictoribus, Sculptoribus, & Architectis.

Gerardvs Mercator, natus eſt Non. Martij 1512. Rupelmondæ in Flandria, parentibus Iuliacenſibus, Syluæducis Grammaticæ operam dedit & Dialecticæ initia didicit ſub Georgio Macropedio. Louanium ablegatus ibidem Matheſim cum Philoſophia iunxit eâ contentione, vt ſæpè neque cibum interdiu, neq; ſomnum noctu caperet, eo fructu, vt ipſe mox inſtrumenta quælibet Mathematica ex ære conficeret, tabulas ad hæc Geographicas ex arte ſculperet, ſtudiumque ſuum Gemmę Friſio (quem priuatim Doctorem habuit) probaret. Quo factum vt Geographorum noſtri ſæculi Coryphæus audire meruerit. Fuit inſuper ſingularis in eo pingendi, cælandi, ſcribendique peritia. Scripſit Chronologiam à mundi exordio ad 1568. ex Eclypſibus, &c. Harmoniam Euangeliſtarum aduerſus Carolum Molinæum, Rationem ſcriben-

ſcribendarum litterarum. De vſu annuli Aſtronomici. Emendauit & Tabulas Geographicas Ptolomæi. Edidit & Globi cœleſtis ac terreſtris ſculpturam, deſcriptiones item vniuerſi orbis quas Atlantem nominauit. præmiſit Librum de creatione ac fabrica mundi, &c. Obijt Duyſburgi in Cliuia 1594.

GEORGIVS VERVOESTIVS Flander, Ordinis Minorum, Gandaui, Ipris & alibi Guardianus ac Lector. Scripſit in Orationem Dominicam Antuerp. 1594. 8. Sermones tres, De Paraſceue ac Reſurectione Chriſti, ibidem apud Ioannem Keerbergium. De præſtantiſſimis noui Teſtamenti donis, apud Ioannē Maſium 1593. Moritur Furnis 1596. apud ſuos conditus. multa vir bonus ab hæreticis Flandriam depopulantibus paſſus eſt.

GERARDVS VELTWICVS. Scripſit Metro ſiue Rythmo Hebraico Librum cui titulus, Schemte thohu, Itinera deſerti de Hebraicis diſciplinis & earum vanitate. Venetijs typis Bombergianis 1539. 4.

GILBERTVS TORNACENSIS Franciſcanus. Scripſit Sermones de diebus Dominicis & feſtis, & rudimentum doctrinæ, item Tractatum de officio Epiſcopi & Eccleſiæ Cærimoniis opus impreſſum Coloniæ 1571. apud Adolphum Boſtium. Vixit anno Domini 1242.

GERVASIVS TORNACENSIS Canonicus Sueſſionenſis. Scripſit Librum de diuina quatuor Energumenorum liberatione apud Sueſſiones facta anno Dñi 1582. In qua Sacro-ſanctæ Euchariſtiæ vis & veritas planè elucet. Liber Pariſiis eſt impreſſus apud Gulielmum Chauldiere 1583.

GISLENVS BVLTELIVS, Clitij Dominus, Patritius Iprenſis, eiuſdemq; Vrbis multoties Conſul (Dionyſio Harduino teſte.) Vir ſummo ingenio raráq; eruditione, ac Poëta perquàm ſuauis fuit; multo condita melle, varijq; argumenti ad amicos Carmina ſcripſit, quorum aliqua pars in lucem edita, altera adhuc penes hæredes latet.

GILBERTVS, ſiue GISLEBERTVS, Eccleſiæ S. Andreæ Elnonenſis, ſiue ad S. Amandum Decanus. Scripſit, De Incendio Elnonenſi, itē Deportationē S. Amandi per Franciam, ac miracula per eundē in via patrata Libb. III. Exſtant mſc. ad S. Amandū. Meminit Chronicon Elnonenſis Monaſterij ad an. CIↃ.LXVI. & Molanus ad Vſuardū 6. Feb. Obijt an. CIↃ.XCV. Sepultus Elnone in Eccleſia SS. Apoſtolorum, cum hoc Epitaphio, teſte eodem Chronico:

Hoc Giſlebertus ſub marmore pauſat opertus,
Dogmata diua ferens, & Chriſto totus inhærens
Formam Paſtoris noſtris qui geſſit in hortis:
Tandem ſublatus terris petit aſtra vocatus.

GVALTERVS MONSIVS Flander, & in Eccleſia Cathedrali Ipris ad Diui Martini Canonicus, aſſerente Dionyſio Harduino. Scripſit Hymnos ſacros diuerſo Carminum genere.

GVALTERVS MORINENSIS Eccleſiæ ſeu Tornacenſis Canonicus & Archidiaconus. Scripſit de Martyrio Caroli cognomento Boni, Flandriæ Comitis, filij Canuti Regis Daniæ Martyris mſc. Tornaci ad S. Martinum. Editus eſt Pariſiis 1615. Typis Cramoiſy in Muelliana Officina, procurante Iacobo Firmondo Societatis IESV Presbytero.

GVALTERVS ISEBRANTIVS Ardenburgenſis Auguſtinianus

nianus Theologus cum laude memoratur à Iacobo Marchantio in opidi Ardenburgenſis deſcriptione.

GRIPHON FLANDER, Sacræ Theologiæ Profeſſor ex Ordine FF. Minorū Lutetiæ Pariſiorum, a Sixto III. Pontifice Maximo in Orientem miſſus, Palæſtinam adijt, & Græcos præſertim Marcionitas montis Libani incolas ad fidem Orthodoxam & Romanam addūxit, adeò vt Regionum illarū Patriarcha à Calixto III appellaretur. Obijt 1475. Extat è multis vnum eius opuſculum, Itinerarium Terræ Sanctæ, Teſte Willotio.

GVLIELMVS DE BRANTEGHEM, Patriâ Aloſtanus atque Antuerpianæ Carthuſiæ (quæ circa Caroli Quinti tempora, Lyram Tranſlata eſt) alumnus. Scripſit Enchiridion piarum precationum ex veteri iuxtà ac nouo Teſtamento deſumptarum, adiunctis nonnullis Iconibus; quod & alio nomine Pomarium orationum nuncupatur. Scripſit & Diſticha in Violam animæ Antuerpiæ editam 1533.

GVLIELMVS BVRLIVS, vt ait Harduinus, Muſices peritiſſimus in Italia ſuperiori ætate floruit, & in lucē editis aliquot Sacrarum Cantionum Libris inclaruit; Conſtantinopolim dein profectus. Hoc nomen porrò Germani per digamma Æolicum ſcribunt. Wilhelmus Budæus Græcis litteris idem prænomen ſuum ἰλέρμος ſcribit, melius ſecundùm nonnullos βιλερμος ſcripturus, ſicut Warinus ſiue Guarinus Camers, vir vtriuſque Linguæ peritiſſimus, nomen ſuum Græcè βαρῖνος ſcripſit. Idem nomen & ſcribitur Guliermus & Hulihelmus, cui adfine eſt Wolfhelmus.

GVLIELMVS CHERICIVS, vulgò du Cherf, Iprenſis, Dionyſio Harduino teſte, in ſuis Scriptorum Flandriæ Com-

Commentariis. Scripſit multa quę extant Carmina, quorum nonnulla legere poteris in opuſculis Salomonis Fabri.

GVLIELMVS ELSTIVS, Paſtor Bocholtanus amœnique vir ingenij. Edidit ſermone vernaculo Rythmos ad omnes hominum ſtatus, quibus eos ad virtutem & ſapientiam hortatur. Antuerpiæ apud Hieronymum Verduſſium 1622.

GVLIELMVS ESTIVS Gorcomij natus, non ignoto Hollandiæ opido, Patre Heſſelio viro admodum Catholico, & Orthodoxæ Religionis ſtudioſiſſimo: de vetuſta nobilium olim arcis Eſtenſis haud procul Tila in Batauis Toparcharum ſtirpe, vnde cognomentū & inſignia apud poſteros manſerunt. Puer Vltrajecti litteris politioribus Linguiſque ſub Georgio Macropedio eruditus eſt. Louanij in ſtudiis cùm Philoſophicis tum Theologicis feliciter inſtitutus, illa etiā decennio toto in Falconis Gymnaſio tradidit. Ac demum S. Th. Doctor & publico eandem pulpito interpretari cœperat, & mox Duacum accerſitus, Regio ibidem Seminario præficitur, & ad Diuum Petrum Præpoſitus & eo nomine Vniuerſitatis Cancellarius ſalutatur. Vir ſanè multis pietatis, doctrinæ, modeſtię Chriſtianæ atque in pauperes beneficentiæ nominibus ſuſpiciendus. Louanij adhuc exiſtens, operam quoque ſuam contulit in D. Auguſtini opera, ſtudio Louanienſium caſtiganda, & Tomum IX. è mſc. recenſuit. Scripſit ibidem poëma de Libera religione. Extantque eiuſdem Verſus aliquot de agno Dei. Martyrium R. P. Edmundi Campiani è Gallico Latinè reddidit. Hiſtoriam Martyrum Gorcomienſium, Martyrum item Gulielmi Gaudani Minoritæ ac Cor-

ac Cornelij Muſij Delphij Theologi & Poëtæ. excudit Balthazar Bellerus 1603. Commentarium abſolutiſſimum ac doctiſſimum in omnes B. Pauli Epiſtolas, cuius editioni eſt immortuus. Prodiit verò à morte Ex. viri Bartholomæi Petri Lintrenſis cum auctario eiuſdem in Epiſtolas Ioannis Canonicas Tom II. Typis Balt. Belleri, fol. Orationes Theologicas XIX. ibidem apud L. Kellanum euulgatæ, vt & Commentarij in lib. 4. Petri Lombardi vulgò Magiſtri Sententiarum, quibus S. Thomæ Aquinatis ſumma Theologica pariter illuſtratur, ibidem typis Boremanni 1615. fol. Tom. 4. denique Annotationes in præcipua ac difficiliora S. Scripturæ loca ibidem fol. & Col. 1622. Moritur Duaci in Regio, vt vocant, Seminario, non ſine ſanctitatis opinione 1613. 12. Kalendas Octob. ætatis 70. ſepultus in Æde ſacra D. Petri Apoſtolorum Principis.

Gvlielmvs de Steenhvyse Poëta fuit, vti eius teſtantur Carmina, quæ leguntur inſerta Poematiis Franciſci Hæmij Inſulenſis.

Gvlielmvs de Lattre, Decretorũ Doctor, Epiſcopus primùm Virdunenſis, dein Tullenſis, demum Tornacenſis, & Abbas LXIV. ad S. Bertinum, atque Ordinis Equitum aurei velleris Cancellarius. Scripſit Gallicè de aureo Vellere Lib. 2. quibus ordinis illius originẽ, exempla varia de magnanimitate Regum Franciæ ac Ducum Burgundiæ, aliorumque tum Romanorum cum Hebræorum è veteri ac nouo teſtamento: itemque de pietate, humilitate, obedientia, iuſtitia, aliiſque virtutibus complectitur. Excuſi ſunt Troiæ in Gallia 1530. apud Nicolaum Le Rouge. deceſſit Gandaui 1473. regiminis 25. Notet verò Lector argumenti eiuſdem opus Gallicè ſcriptum ab aliis

tribui Ioanni Abbati ad S. Bertinum. Ita Arnoldus Wionus in ligno vitæ, ſed dubitanter credens falli ſe, aut quod equidem credo, fallere. Ita Valerius Andreas in Bibliotheca.

Gvlielmvs Fabivs, vti ait Harduinus, ſuperioribus annis Græcæ linguæ publicus Profeſſor, occiſus à petulantibus Studioſis per noctem graſſantibus, ac multis vulneribus confoſſus fuit.

Gvlielmvs Alanvs natione Anglus, patriâ Lancaſtrenſis, nobilibus ortus parentibus, virtute & eruditione familiam ſuam non mediocriter decorauit. In ſtudiis bonarum litterarum iuuenis Oxonienſem Academiam habuit altricem. In illa ætate magnam oſtendit indolem, & earum quæ poſteà ſecutæ ſunt, virtutum euidentia ſigna demonſtrauit. Maturior factus, in eadem Academia cuidam Gymnaſio, Aulam S. Mariæ vulgò nuncupant, tanquam Rector præfuit, ſed mutatis in Anglia rebus, & ſuppreſſa per hæreticos Catholica fide, in exilium profectus eſt Alanus, & Duaci in Belgio Theologica ſtudia proſecutus, ſupremam in ea facultate Lauream adeptus eſt, & ibidem Regium Profeſſorem egit. Poſteà ad Canonicatum Cathedralis Eccleſiæ Cameracenſis, deinde Rhemenſis in Campania Galliæ aſſumptus eſt. Vir, qui, ſi corpus ſpectes, mediocrem hominum ſtaturam nonnihil exceſſit. Vultu decorus, inceſſu compoſitus, in omni congreſſu affabilis; ſi verò dotes animi conſideres, erat pius, eruditus, prudens, grauis, & auctoritate plurimum pollens, humilis, modeſtus, patiens, mitis, pacificus; omni denique virtutum genere ornatus & excultus. Hic omnium primus Anglos ſuos Catholicę Religionis causâ ſub Elizabetha regina exules,

exules, & per vniuerſam pęnè Europam hinc inde diſperſos, ſimul congregauit, & Duaci primùm, deinde Rhemis, ad collegiatam diſciplinam perduxit, & copioſam iuuentutem ſub optimis gentis noſtræ Doctoribus & Præceptoribus ad pietatem & bonarum litterarum ſtudia nutriri & erudiri curauit. In eo Collegio communiter ſolebant eſſe ſacræ Theologiæ Doctores & Licentiati octo vel decem viri graues & maturi, ex quibus alij ſacras Scripturas explicabant, alij Theologiam Scholaſticam, alij ius Canonicum, alij Controuerſias fidei publicitus omnibus aduenientibus prælegebant. Alij contra hæreticos ſcribebant, alij multorum Martyrum certamina & mortes, Confeſſorum vincula vel exilia litteris conſignabant, gentiſq; noſtræ quaſi quandam Eccleſiaſticam hiſtoriam diligenter conſeruabant, & prout ferebat occaſio, vel cauſæ publicæ videbatur expedire, ſuas lucubrationes in lucem emittebant. Alij denique curam rei familiaris agebant, & cuique pro ratione ſtatus & dignitatis cuiuſque, omnia ad victum & veſtitum neceſſaria ſollicitè prouidebant. Sub his & aliis Magiſtris fuerunt Theologi non pauci, Philoſophi multi, & qui litteris humanioribus operam dabant, longè plures. Qui omnes per ſuas claſſes diſtributi Profeſſores, vel ex ipſis Doctoribus, vel à Doctoribus aſſignatos habuerunt, Alano omnium Præſide omnia moderante, qui mira grauitate, ſummaque conſtantia & auctoritate toti Collegio, imò per Collegium omnibus pænè gentis noſtræ Catholicis præfuit, omneſque in maxima charitate, pace, & concordia prudentiſſimè rexit, & potenter in officio continuit. Quippe qui non ſolùm ſuas paſſiones moderari, verùm etiam exorbitantes aliorum motus in gyrum rationis flectere, & quorumcunque vel iuueniles inſolentias aut cedendo lenire, aut ferendo paulatim

vincere, aut comprimendo, ſi opus eſſet, frangere probè nouerat; huius regiminis exacta norma viros non paucos ætate maturos, doctrinâ præſtantes, & magni apud noſtrates nominis, ad hanc collegiatam diſciplinam attraxit, quorum vel ſolum exemplum plures inferioris conditionis homines Chriſto lucrifecit. Sed quia tantum virum, tam diu mihi cognitum, & de me tam bene meritum, nec ſatis laudare valeo, nec extra meum propoſitum in eius præconia licentiùs hîc excurrere debeo, reliqua ſilentio prætereo. Neque enim vitæ illius ex profeſſo narrationem inſtituo, ſed dum doctrinam eius exponere cupio, coniunctas in eo cum litteris virtutes obiter ſaltem tangere neceſſe habeo. Tandem multiplicium meritorum intuitu à Sixto Papa Quinto Rhemis Romam vocatus eſt, & anno Domini 1587. die ſeptimo Auguſti S. R. E. Presbyter Cardinalis tituli S. Martini creatus, ſublimem illam dignitatem, vt alias ſemper ſuam, perhonorificè ad dies vitę tuebatur. Sed nunc ad præclara illa ingenij doctrinæque monimenta, quæ poſt ſe, partim Anglicè, partim Latinè conſcripta reliquit, veniamus. Nam præter quotidianas ad multos annos in ſcholis lectiones, & frequentes in Collegio ſuo conciones, fœliciter in lucem emiſit, De Sacramentis in genere, De Sacramento Euchariſtiæ, & de Miſſæ ſacrificio, lib. 3. Ad Gregorium Papam Decimumtertium. Diu multumque Gregori Pontifex. Extat Antuerpiæ anno 1576. De Indulgentiis Anglicè, lib. 1. Louanij anno 1567. vidi in Bibliotheca Delowariæ. Defenſionem & declarationem Purgatorij Anglicæ, lib. 1. Antuerpiæ 1565. vidi ibidem. De oratione pro animabus defunctorum Anglicè, lib. 1. Anterp. eodem anno. vidi ibidem. De auctoritate Sacerdotali ad remittendapeccata Anglicè, lib. 1. Louanij 1567. vidi ibidem. De inuocatione Sanctorum & reliquiis, lib. 1. admonitionem

ad

ad Catholicos Anglos, lib. 1. Apologiam Seminariorum contra edictumElizabethę Reginę, lib. 1. Quamuis quod ad crimina nobis. Extat 1581. 1583. Epiſtolam Anglicè de legitima Deditione Douentræ facta per Guilhelmum Standlæum, vidi ibidem. Iuſtitiæ Anglicanæ confutationem, lib. 1. Scripſit etiam alia plura opuſcula. Romæ tandem diem ſuum obiit die decimoſexto Octobris, & ibidem in Eccleſia Scholæ Anglorum ſepultus eſt, anno poſt aduentum Meſſiæ 1594. regnante in Anglia Elizabetha. Huius præſtantiſſimi viri obitum, quotquot fidei causâ perſecutionem patimur, adhuc lugemus, & tanquam orphani periiſſe nobis communem parentem magis ac magis indies experimur. Ita de viro maximo Ioannes Pitſæus in ſuo de Illuſtribus Angliæ Scriptoribus volumine.

GVLIELMVS COVRSINVS, quem alij Coaſinum, alij Coauerſinum vocant, Duacenus Rhodiorum Equitum procancellarius: deſcripſit obſidionem Rhodi factam an. 1480. & contentionem Bajazetæ & Syſimi duorum fratrum, Vlmæ, in fol.

GVLIELMVS HANETON, Reip. Tornacenſis adſeſſor, atque in Academia Bituricenſi Legum Profeſſor. Scripſit de iudiciorum ordine, forma, & de iure feudali. Tractatus in tres partes diuiſus eſt, atque ad vſum forenſem accommodatus, cauſarum patronis, omnibuſque forenſia negotia tractantibus vtilis. Impreſſit eum primò Chriſtophorus Egenolphus Francofurti, pòſt emendatior exiit Duaci 1570. apud Lud. de Winde.

GVLIELMVS LAPIDANVS, vulgò vanden Steene, Vicouiacenſis, Harduino teſte, conſcripſit Methodum Dialecticam,

cam, quam Lugduni in Gallia typis ſuis euulgauit Gryphius. Item de non timenda morte, De miſeria conditionis humanæ, Conciliationem dubiorum in Sacrificio Miſſæ, Enarrationes in 7. Pſalmos pœnitentiales. Fuit Monachus Winocibergenſis.

Gvlielmvs Bernartivs Medicus Tiletanus, à Iacobo Marchantio in Tileto laudatur, & Louanij ob morum vultuſque grauitatem, eodem teſte, Cato nominatus fuiſſe perhibetur.

Gvlielmvs Messinensis, à Meſſina loco natali, qui celebri Benedictinarum Virginum Cœnobio inclaruit. Patriarcha fuit Hieroſolymitanus, non ſine magnis laudibus memoratur, in Iudicio Panegyrico Quadrimembris Flandriæ, edito Brugis apud Petrum Soetardum 1605. vbi de priſca Flandrorum Religione agitur.

Gvlielmvs Lykerckivs, eodem Harduino aſſerente, Poëta fuit, ac varia quę etiam in publicum emiſſa ſunt, carmina conſcripſit.

Gvlielmvs Martinvs Actiophanenſis ſiue Dunkerkanus, frater Ioannis Martini Canonici & Cantoris Cathedralis Eccleſiæ Gandauenſis, Præſes olim Senatus Luxemburgenſis, & Andreę Alciato familiaris. cùm ingenio eſſet in Poeſin procliui, elegiaca ecphraſi expoſuit Titulum de diuerſis regulis iuris antiqui, quæ & Hetruſco & Norico Codici adſcriptæ ſunt. Opus dedicatum Viglio Zuichenio Belgij Præſide. Impreſſit Louanij Velpius 1553.

Gvliel-

Gvlielmvs de Moerbeka, Pœnitentiarius Romanæ Eccleſiæ ac vir doctiſſimus (Harduino teſte) fuit. illi Vitellio Mathematicus eruditiſſimus opus ſuum dedicauit, de ſpeculorum omne genus imaginum ratione, & cur quædam oppoſita ſoli vrant, deque vmbris ac variis circa viſum deceptionibus, à quibus magna pars Magiæ naturalis dependet. Impreſſit Noribergæ Ioannes Petreius, anno 1535.

Gvlielmvs Pantinvs Tiletanus, Poëta & Medicus apud Brugenſes. Poſteris reliquit Commentarios ampliſſimos in priores duos libros Cornelij Celſi de re medica, & in reliquos annotationes breuiores quidem, ſed quæ iuſti Commentarij vicem, ſicubi rei difficultas requirat, explere poſſe videantur. Impreſſit Baſilicæ Oporinus. Præfixa eſt operi prolixa & elegans Epiſtola ad Ampliſſimum & Splendidiſſimum Senatum Brugenſem. Extat eiuſdem Pantini elegans Carmen præfixum C. Iulio Cæſari, Huberti Goltzij, vel meliùs Marci Laurini Watervlietij.

Gvlielmvs Thyræus natione Hybernus, Academiæ Duacenſis Doctor Theologus, iam nuper in patriam fidei tutandæ & propagandæ cauſsâ profectus. Scripſit Orationem de ſancto Patricio, & vnam de ſtatu vitæ eligendo; quæ omnia Duaci excuſa ſunt. Fuit ibidem Seminarij Hybernorum præfectus, dubium an diſciplinis & eruditione, an moribus & pietate, zeloque religionis orthodoxæ præſtantior.

Gvlielmvs Qvaccelbenvs, Cortracenſis Medicus. Augerij GiſleniBusbequij valetudini præfectus, acByzantiũ

cum eodem profectus, ibidem moritur, vt in Itinerario ſuo Busbequius memorat. Exſtat illius ad Matthiolum Epiſtola prima libri III. Epiſtolarum Medicinalium, De plantis quibuſdam, à ſe Conſtantinopoli ad Matthiolum miſſis.

. GVLIELMVS à FLANDRIA, Eremita Auguſtinianus. Scripſit Commentarium in Apocalypſin mſc. olim Gandaui & Mechliniæ apud Auguſtinianos, vti teſtatur Valerius Andreas ex Indice Ioannis Bunderi DominicamGandauenſis.

GVLIELMVS INSVLANVS Menapius Greuibronenſis, pleriſque Chriſtiani orbis Academiis peragratis, Patauij etiam in Philoſophicis Nicolao Leonico Tomæo operam dedit. Doctiſſimorum ad hæc virorum conſuetudine vſus Romæ diu vixit Pontifici Maximo carus, medicæ non ignarus artis, ad ſuos reuerſus Præpoſitus ad ſanctum Adelbertum Aquiſgrani deſignatus eſt, quod ibidem munus cum vita depoſuit 1556. Scripſit Encomium febris quartanæ, cui adiuncta eſt ratio curandi febrim quartanam, item de ratione victus ſalubris & ſanitatis tuendæ, Syluam obſeruationum linguæ Latinæ, Orationem pro pace ad Carolum V. Stateram Calcographiæ, & alia plura. Vide Valerium.

GVLIELMVS DE TORNACO, ex Ordine Prædicatorum Theologus. Scripſit in libros 4. Sententiarum, in vniuerſa Biblia, in Matthæum mſc. Trecis in Gallia apud Dominicanos. In Epiſtolas D. Pauli, de modo docendi pueros mſc. in Monaſterio Thuſano apud Brugas, Sermones de tempore & Sanctis mſ. Louanij ad ſanctum Martinum in fol. Hæc ferè Bunderius. Floruit circa annum Domini 1292.

GVLIEL-

GVLIELMVS SIMONIVS Tiletanus Theologus, in Compendium redegit Tomos Vitarum ſanctorum Aloyſi, Lepomani Epiſcopi Veronenſis, ac librum dedicauit Leuino Baes Abbati Trunchinienſi. Excuſum Louanij apud Seruatium Haſſemium.

GVLIELMVS TORNACENSIS, ad S. Martinum Tornaci apud Neruios Monachus Benedictinus. Collegit Flores ex Operibus S. Bernardi. Exſtant mſc. in Rubra valle apud Bruxellam. ita Bunderius. vide Valerium Andream.

GVNTHERVS Monachus S. Amandi, Ordinis S. Benedicti, ſcripſit Verſibus Paſſionem S. Cyriaci martyris. De Oratione, Ieiunio, & Eleëmoſyna, lib. 13. De geſtis Barbaroſſæ Imperat. lib. 10. De rebus Germanicis, lib. 1. Vixit anno 1060.

HENRICVS BRVCÆVS, Aloſtanus Flander, Romæ diu vixit, ac Matheſin docuit. Lutetiæ familiariter Hadriano Turnebo ac Petro Ramo vſus eſt. In Germaniam reuerſus, Medicinam ac Matheſin Roſtochij apud Saxones annos 25. explanauit. Scripſit ibidem de primo motu libros tres 1580. in 8. Inſtitutiones Sphæræ in 8. Obiit Roſtochij anno 1593. ætatis 62. prid. Non. Ianuarij ex apoplexia febrim continuam ſecuta.

HENRICVS CVLENS Cortenbergenſis, æquali Louanium inter ac Bruxellam ſpatio, S. Theologiæ Lauream Louanij accepit anno 1597. 9. Kal. Octobris, pòſt Gerardimontanus in Flandria Paſtor. Edidit Strenarum ſpiritualium, ſeu Concionum variarum manipulum ad diuerſos hominum ſtatus; typis Plantini 1613. Documenta Catholica

ſeu Catechetica 15. de Lege Dei ſeu Decalogo, ibidem apud Verduſſium anno 1618. Iubilæi veteris Hebræi & noui Chriſtianorum collationem dicatam Matthiæ Honio Archiepiſcopo Mechlinienſi Iubilęum celebranti 1618. typis Moreti. Theſaurum locorum communium in gratiam Paſtorum & Concionatorum Alphabeti ſerie digeſtum, ibidem 1622.

Henricvs Dresevs Aloſtanus, Philoſophus, Mathematicus, & Medicus Ducis Megalopolitani, Roſtochij in Saxonia Medicinam docuit publicè; multa, vti teſtatur Dionyſius Harduinus, in Matheſi & arte Medica conſcripſit.

Henricvs Smetivs à Leyda, Doctor Medicus, Aloſti natus, & in Academia Heydelbergenſi Profeſſor. Scripſit Poëmatum libros nouem, Proſodiam de ſyllabarum quantitate ex veterum Poëtarum auctoritate, Miſcellanea medica lib. 12. digeſta Francofurti apud Rhodiū in 8. Puer triennis orbatus patre fuit, à matre dein litterarum ſtudiis admotus, 15. annorum adoleſcens Phocylidem ac Pythagoram Latio donauit. Medicæ artis initia dedit Louanium, inſignia ac titulum Bononia annos nondum 24. nato, in Patriam reuerſus, ductaque vxore annis ſex Antuerpiæ hæſit. In Germaniam dein profugus præfuit valetudini Federici Tertij Comitis & Electoris Palatini ad Rhenum eiuſque filij Caſimiri, & ſcientiam artemque ſimul Medicam docuit.

Henricvs Pepinvs, Ordinis ſancti Franciſci per Belgium Prouincialis. Edidit librum Teutonicè conſcriptum à Franciſco Veruoſtio, cui titulus, Veſtis nuptialis amoris

amoris diuini. Reliquit plura prælo digna, inter quæ Sermones mſc.

Henricus Vicus, Ooſthouij & Warnaniæ Dominus. Scripſit tractatum de deſcenſu ad inferos Domini noſtri Iesv Chriſti, Antuerpiæ apud Chriſtophorum Plantinum in 4. Item de Sacramentorum Chriſtianorum natura, officiis, ac numero. Apologiam ſacrarum Imaginum, de Controuerſiis horum temporum, De Communione Sanctorum ex Symbolo, dedit & Conſilium, quo oſtendit è re fore Eccleſiæ, vt in locum Magiſtri Sententiarum, aliud in Scholis opus ſubſtituatur ad hæreſes perimendas, accommodatius.

Henricvs Willotivs, Ordinis ſancti Franciſci Fontibus Epiſcopi (quod eſt in finibus Territorij Leodienſis opidum) natus; Grammaticæ Coloniæ in Wijs, Philoſophiæ Louanij in Lilio, Theologiæ Lutetiæ Pariſiorum operam dedit. Theologiam etiam Namurci & Audomaropoli docuit, denique Minorum in Belgio Prouincialis & Commiſſarius generalis fuit. Scripſit Ogdoades binas Homiliarum de Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento, Enochum Euangelicum, Athenas Orthodoxorum Sodalitij Franciſcani, de Scriptoribus Franciſcanis; & hæc quidem Latinè, Gallicè verò Conciones de Indulgentiis, Orationem funebrem in exequiis Helenæ de Melun.

Herimannvs Abbas III. Monaſterij ſancti Martini in vrbe Tornacenſi. Scripſit Hiſtoriam reparationis ſeu inſtaurationis ſui Monaſterij per Odonem poſteà Cameracenſem Epiſcopum factæ ab anno Chriſti 1092. vſque ad

annum 1162. quo & floruit. Recitat multa de Regibus Galliæ & Comitibus Flandriæ, fuſeque commemorat quando & quomodo Tornacenſis Epiſcopatus à Nouiomenſi fuerit ſeparatus, priſtinæque dignitati ac libertati reſtitutus: exſtat mſc. ibidem. Meminit Herimanni Monachi Tornacenſe Chronicon ἀνώνυμον. Ait enim Herimannum locum illum copiosè paternis poſſeſſionibus ditaſſe, tertium regiminis locum obtinuiſſe, & ad annum vſque ſexageſimum vixiſſe.

HERMANNVS DE PETRA Santdorpius, Virginum Carthuſianarum apud Brugas per annos 34. Cœnobiarcha. Scripſit Sermones 50. in Orationem Dominicam, Aldenardæ 1480. apud Ioannem Cæſarem. Reliquit prætereà Sermones de tempore & Sanctis, Tractatum de Immaculata Conceptione B. Mariæ Virginis, de Regimine Monialium, aliaque à Trithemio & Sutore recenſita, qui eum è viuis anno 1428. deceſſiſſe volunt, contra atque Molanus, qui eum in Bibliotheca Theolog. mſc. anno 1412. mortuum aſſerit.

HERMES CLERVS Societatis IESV, natione Belga, patriâ Tornacenſis. Claruit in Gallia, pietate ac doctrinâ in Billonenſi Collegio. Canonici erat juris peritiſſimus & Canonũ obſeruantiſſimus, ad hæc Poeta egregius, vt & quæ de Angelis beatiſque ſpiritibus B. Thomas diſſeruit, carmine pangeret. Faſtos idem ſacros Sanctorum Sanctarumque elegiacis Verſibus poſt Ouidium Naſonem, Baptiſtam Mantuanum ac Nouidium. Vitam quoque B. Patris Ignatij Carmine conſcripſit; quod opus cùm noſtris, vt ait Ribadeneira, ſit in manibus, ſpes eſt fore vt lucem aliquando adſpiciat. Fuit & in Gallia, ſed apud Sequanos Nicolaus Clerus Tornacenſis, & ipſe de Societate, Dolæ Comitatus Burgundiæ

gundiæ humo mandatus, vbi concionibus clarus extiterat, ſed quod ingenij monumentum litteris mandarit, mihi quidem nondum compertum.

HERMES WINGHEN Rotracenſis, Iuris vtriuſque Louanij Doctor, & in Sanctiore Concilio Senator, à Iacobo Marchantio memoratur in deſcriptione eiuſdem loci.

HIERONYMVS CLYCHTOVAEVS, Sacræ Theologiæ Licentiatus, atq; ad Diuum Donatianum Brugis Parochus. In Pariſiorum Academia Philoſophiam & Theologiam docuit. Diſputator in Sorbona habitus acerrimus, Rector fuit Vniuerſitatis quoque Pariſienſis. Floruitque Brugis anno Domini 1535.

HIERONYMVS FRANCVS Duacenus Eques, primò Louanij vixit illuſtrium Maxæmil. & Iacobi Boſſutorum formator & ſtudiis moribuſque præfectus, & I.C. titulum ibidem accepit. Anteceſſorem Iuris ac Doctorem nactus Gab. Mudæum. Relicto cum Boſſutiis Louanio, in Germaniam, Heluetiamque conceſſit, & ſubſtitit Friburgi Briſgoiæ: rogatuſque vt Iuris ibi partem aliquam publicè explanandam ſuſciperet, quod priuatim Louanij identidem præſtiterat TIT. D. de regulis in manus ſumpſit ac prælegit. Poſtquam verò in Belgium rediit, annos plures Reip. ſuæ fuit à Conſiliis indeque ad magnum Senatum Belgicum vocatus eſt, demum Præſes datus ſummo Arteſiæ Senatui. Commentarij in regulas Iuris editi ſunt Baſileæ 1558. Scripſit & de Academiæ Duacenſis erectione. Deceſſit Præſes Concilij Artheſiæ 1606. dierum plenus, relicto filio Raimutio paternæ doctrinæ ac dignitatis hærede, qui nuper Præſes Conſiſtorij Mechlinienſis renunciatus eſt.

HILDVINVS TASSONIVS Flander, ex Abbate Lobienſi (quod eſt inſtituti Benedictini Cœnobium, ad ſecundum à Binchio Hannoniæ opido lapidem) primùm Veronenſis Epiſcopus, pòſt Mediolanenſis Archiepiſcopus. Scripſit, Trithemio teſte, Geſta Abbatum Lobienſium, Sermones ad fratres & alia. Claruit ſub Hugone Rege Italiæ, cui adfinitatis lineâ jungebatur (inquit Trithemius) circa annum Domini 920.

HVBALDVS Monachus Elnonenſis, ad S. Amandum, nepos Milonis ibidem Monachi, litteris inſignis, ſcriptis celebris. Muſicus quoque excellens fuit, & cantum multorum Sanctorum compoſuit, vt ait Chronicon Elnonenſe, & Sigebertus de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 108. Scripſit vitam ſancti Lebuini Confeſſoris Dauentriæ, Sanctæ Rictrudis Marchianenſis, Aldegundis Maluodienſis, Maldebertij, hiſtoriam ſanctæ Ciliniæ matris ſancti Remigij, Carmen de laude Caluorum ad Carolum Caluum. Obiit anno 930. ſepultus in monumento Auunculi.

HVBERTVS RODOLPHVS, Ordinis Ciſtercienſis Monachus, & Abbas in Claromariſci ſeu Claræ paludis Cœnobio apud Audomaropolin, Alexandri Farneſij Parmæ Ducis Belgarum proregis beneficio. Scripſit eidem Principi dicatum Panegyricum, de rebus ab Alexandro Farneſio in Belgio geſtis. Duaci apud Ioannem Bogardum & Coloniæ 1598. apud Mylium cum aliis ſimilis argumenti libellis.

HVBERTVS CLERICVS, Inſulenſis, in Patria Sacerdos, & ad D. Petri Sacellanus. Edidit Poëſin ſacram, in qua ſunt Pſalmi Dauidis pœnitentiales Carmine redditi, Elegię, Epita-

Epitaphia, &c. Tornaci vulgata. Obiit Inſulis maturus ætate anno 1608. die 5. Maij.

Hvgo Fridevallivs Sanpaulinas, quod opidum eſt in Artheſia ſitum. Medicus & in Academia Duacenſi eiuſdem artis Profeſſor. Scripſit de ſanitate tuenda, lib. 4. Antuerp. apud Plant. 1568. De balneis & eorum vſu, μεθόδικον σύνταγμα. Duaci apud Ludouicum de Winde. 1565.

Hyacinthvs Choqvetivs Inſulenſis, Ordinis Prædicatorum Doctor Theologus Duacenſis, & ſtudij Theologici ibidem regens, vt vocant, Primarius. Vir ingenio ſubtilis, iudicio profundus, doctrinâ celebris. Philoſophiam ac Theologiam Louanij etiam ſuos docuit, Collegam nactus Thomam de Torres Hiſpanum Theol. Magiſtrum. Scripſit de Sanctis Belgis Ord. eiuſdem librum ſingularem, de Confeſſione item per Nuntium facienda, & alia plura.

Henricvs Zypævs, Ordinis ſancti Benedicti, Cœnobij Afflighemienſis in Brabantia Prior, & nunc Abbas Monaſterij ſancti Andreæ iuxta Brugas. Vir eruditione, modeſtiâ, pietate ſpectabilis. Scripſit librum cui titulus, S. Gregorius Magnus Eccleſiæ Doctor, primus eius nominis Pontifex Romanus, ex nobiliſſima & antiquiſſima in Eccleſia Dei Familia Benedictina oriundus. Quo B. Gregorium ac ſanctum Equitium Ordini ſuo contra Baronium vindicat Ipris, 1611. in 8. apud Franciſcum Belletum. Meditatur Commentarium in Regulam Ordinis ſui. Fratrem habet Franciſcum vanden Zijpe, I.V. Licentiatum, Canonicum & Officialem Antuerpienſem, eleganti ingenio virum ſcriptis quoque celebrem.

HARIVLPHVS ALDENBVRGENSIS, in Flandria Abbas inſtituti Benedicti, altero ab Oſtenda lapide, conſignauit litteris ad Gulielmum Dorouernenſem Archiepiſcopum Vitam S. Arnulphi Sueſſionenſium Epiſcopi, apud Surium Tom. IV. 15. Aug. ſed Præfatione triplici omiſſa quę leguntur mſc. in Vrſicampo Ordinis Ciſtercienſis Cœnobio apud Nouiomum hoc initio, Domino Lamberto Dei gratia Tornacenſi Epiſcopo. Vitam quoque B. Geruini II. Abbatis Aldenburgenſis prædeceſſoris ſui edidit, vtrumq; ſcriptum Aldenburgi ſolet aſſeruari cum Miſſali & Pontificiali, quibus ferunt D. Arnulphum fuiſſe vſum, teſte Molano in natalibus 16. Aug.

IACOBVS A MIGRODE Aloſtanus, vir multarum Linguarum peritus fuit, atque ex Hiſpanico in Gallicum Idioma vertit hiſtoriam rerum ab Hiſpanis in Occidentali India geſtarum. Impreſſit Pariſiis Gulielmus Iulien 1582.

IACOBVS A MEERLANT Dammenſis, Poëta, Orator, ac Philoſophus acerrimus. Plurimùm laudatur à Marco Varnewico lib. 3. cap. 26. Hiſtoriæ Belgicæ: ſcribitq; eum poſt ſe præter alia ingenioſiſsima opuſcula, liquiſſe librum Flandricum hoc titulo, *Der Nateren Blomme*, id eſt, Flos naturæ, quo naturæ miracula prædicat. Eius & meminit Meyerus lib. 8. Annalium ad annum 1206. Scriba fuit Dammenſis, vbi eius effigies artificiosè ſculpta habitu philoſophico dextrâ calamum tenentis, ac librum apertum in pulpito in domo Ciuica, viſitur.

IACOBVS BELCHERIVS Iprenſis, Poëta venuſtus, vt ait Dionyſius Harduinus. Scripſit inter alia Epiſtolam inſignem gratulatoriam ad venerandum in Chriſto Patrem, D. Ioan-

Ioannem de Mirica, S. Theologiæ Baccalaureum, & Eccleſiæ D. Antonij iuxta Balliolum Flandriæ Occidentalis Abbam 1570.

Ivcobvs Bvesing Loanus, litteris clarus. recenſetur à Marchantio in eius loci deſcriptione.

Iacobvs Bovrgesivs, Duaci vixit Prouincialis Ordinis SS. Trinitatis & Redemptionis Captiuorum, vir pius & vitæ ſanctimoniâ morumque ſuauitate ſubditis cæteriſque carus. Edidit Latine Regulam & Statuta Ordinis ſui: item Formam reformationis ad præſcriptum ſacri Concilij Tridentini, Gallicè verò euulgauit inſtitutionem ac fundationem Ordinis cum Priuilegiis & Indulgentiis eidem conceſſis, miracula illuſtriora Sacroſanctæ Eucharistiæ: Harmoniam Citharæ Dauidicæ, mortificationem perturbationum omnium, Promptuarium Orationum ad Sanctos, Fontem compunctionis. Deceſſit Duaci anno 1600. Kalend. Auguſti, conditus ibidem in ſui Ordinis æde ſacra.

Iacobvs Codt Societatis Iesv Theologus, & humanioris litteraturæ peritiſſimus. Edidit ſuppreſſo nomine Leoninum Carmen elegans admodum & argutum, cui titulus, Norma miniſtrorum, ſeu ſimplex regula morum iuxta iter errorum ſine lege reformatorum. Habet & præ manibus varias & eruditas Orationes, Poëmata item ſelecta.

Iacobvs Chynevs ab Arnage, Legum Licentiatus. Scripſit Anatyſin in 14. libros Ariſtotelis, de prima ſeu diuina Philoſophia. Exſtant eiuſdem Scholæ duæ, prima de perfecto Philoſopho, altera de prædictionibus Aſtrologorum.

IACOBVS DE KEERLE Flander, Iprenſis, Metropolitanæ Eccleſiæ Cameracenſis Canonicus. Edidit in folio regali Miſſas 4. & 5. vocum. Impreſſit Antuerpiæ Chriſtophorus Plantinus.

IACOBVS DRIESCHIVS Flander, Rector Gulielmitarum Brugenſium. Scripſit Chronicon Flandriæ, lib. 1. Iacobus Meyerus lib. 5. Annalium ad annum 1138. Huic Albertus Crantz dedicauit vitam D. Remberti Archiepiſcopi Bremenſis Toraltenſis Flandri cum vita D. Auſgarij Hamburgij, quas cum aliis ſuis lucubrationibus edidit præfatus Meyerus.

IACOBVS LOGENHAGEN, Ordinis S. Saluatoris ſiue Brigittæ apud Teneramundanos Virginum Præfectus. Edidit Antuerpiæ 1571. 12. Annotationes in Epiſtolam Canonicam S. Iacobi ad Viglium Zuicchenium, Commentarium in Euangelium Lucæ ex operibus S. Auguſtini, ibidem 1574. 8. apud Tilenium.

IACOBVS LOVCHIERIVS Tornaci Neruiorum ad S. Martinum Ordinis S. Benedicti Religioſus. Edidit Tornaci typis Caroli Martini 1610. 16. emendatum, notiſque marginalibus auctum Diadema Monachorum Smaragdi Abbatis Monaſterij ſancti Michaelis in Saxonia, Ordinis ſancti Benedicti.

IACOBVS EYTZWERTIVS Poëta egregius, edidit heroico verſu librum, cui titulus, Aldenardias ſiue de ſubdola ac furtiua Geuſiorum in vrbem Aldenardam irruptione, & de indignis eorundem facinoribus. Excudit Gandaui Ioannes Lapidanus. Compoſuit & elegias elegantes nondum euulgatas

gatas

gatas teſte Marchantio in Flandria. Miles ac ſignifer fuit.

IACOBVS MAIVS Poperinganus, Poëta non inelegans, teſte Dionyſio Harduino. Quædam ſcripſit, quæ operibus Iacobi Sluperij inſerta exſtant.

IACOBVS MOSANDER Carthuſianus, anno Domini 1570. Religionis ergò Coloniam diuertens, cùm anteà Decanus fuiſſet ruralis, relicto Eccleſiaſtico beneficio Monachum induit, & poſt obitum Surij in ſeptimo Sanctorum concinnando Tomo, inſignem poſuit operam, dedicando hunc ſuum laborem Gaſparo Groppero Bonnenſis Eccleſiæ Præpoſito. Fatis conceſſit in Morauia in domo Vallis Ioſaphat propè Olmutium anno Domini 1589. Edidit & Martyrologium Adonis auctius & emendatius poſt Aloyſium Lipomanum.

IACOBVS MARCHANTIVS, Neoporti in Flandria natus, Furna oriundus (vbi pater Balliuum, vt vocant, egit.) I.C. Hiſtoricus ac Poëta, primos vitæ annos Louanij ſtudiis dedit, poſteà Italiam petiit circa annum 1562. & biennium vixit in familia Ferdinandi Conſalui Cordubæi, Ducis Sueſſani & Inſubrum Præfecti. Edidit adoleſcentibus adhuc annis, de rebus geſtis à Flandriæ Comitibus elegiarum librum, Louanij 1557. de rebus Flandriæ memorabilibus librum ſingularem oratione ſoluta, & de Flandriæ Principibus verſu elegiaco diuerſo ab altero. auxit pòſt locis plurimis, hanc Flandriæ ſuæ hiſtoriam, & in libros Commentariorum quatuor diſtribuit, quibus de Flandriæ origine, opidis, ordinibus, ciuili, armataque vita agit.

IACOBVS NAVARCHVS Honſchotanus Flander, Socie-

tatis IESV Presbyter. Scripſit Epiſtolam inter Indicas decimam octauam de Archiepiſcopo Armachano: item aliam benè longam quam Aſiaticam nominat de rebus Aſiaticis ad Religionem ſpectantibus, de Neſtorianis, Iacobitis, &c. de Regno Chinenſi, de Prouincia magnæ Tangutiæ, de Tartaris, aliiſque vicinis Regnis. Scripta eſt ad Ioannem Lentaillerium Abbatem Aquicinctinum, exſtatque edita cum Epiſtolis Indicis Louanij apud Rutgerum Velpium 1570. in 8. Obiit Antuerpiæ anno 1576. VI. Non. Mai.

IACOBVS MEYERVS, natus eſt anno 1491. Vleternis in agro Balliolano, à rudibus primæ ætatis annis litterarum, quibus ad humanitatem informamur, ſtudia auidiſſimè complexus, Lutetiæ Philoſophiæ ac Theologiæ operam dedit, Patriæ redditus ac ſacris initiatus, Ipris ſedem ac domicilium habuit, Ioanni Deſpauterio, Eraſmo Roterodamo, aliiſque carus ac familiaris. Brugis deinde Ludum litterarium aperuit magno auditorum confluxu ac fructu. Relictâ vergente in ſenium ætate docendi Prouinciâ, Blancobergenſem Eccleſiam adminiſtrauit. Sexagenario maior acutâ febre correptus, diem obiit extremum anno 1552. Sepultus Brugis ad ſanctum Donatianum. Scripſit accuratè ac fideliter Flandricarum rerum Tomos X. qui ſunt de Origine, Antiquitate, Nobilitate, ac Genealogia Comitum Flandriæ. Chronicon item Flandriæ, prætereà hymnos aliquot Eccleſiaſticos, & Carmina pia cum Annotationibus in hymnos duos Trochaicos Aurelij Prudentij, I. De miraculis, II. Duorum Martyrum. Carmina item Miſcellanea cum Philippeide, ſiue de bello Philippi Pulchri cum Flandris, &c. quam abſterſa barbarie meliorem reddidit.

IACOBVS

Iacobvs Lessabaevs Marchianenſis, cum Andrea Marchianenſi Priore ſcripſit Hiſtoriam ſeu Chronicon vniuerſale 1300. Geographus fuit ac Poëta. Edidítque Antuerpiæ apud Hillenium 1534. 8. Libellum de harmoniæ vrbibus cum Farragine Carminum.

Iacobvs Nicolaivs Loenſis Flander, Morinis oriundus, Græcè Latineque bene peritus. Scripſit Miſcellaneorum epiphyllidum libros nouem. Leguntúrque in Appendice tomi quinti. Lampadis Criticæ edente Iano Grutero, quorum lib. vi. patriæ ſuæ meminit, promittebatque Antiquitatum libros. Fuit Loenſibus ſuis à ſecretis, perfamiliaris Paulo Leopardo, homini etiam Græcè doctiſſimo. Cuius mortem luget lib. 8. Epiphyll. cap. 23.

Iacobvs Regnardvs Flander, Rodolphi Secundi Cæſaris Muſicus, anteà verò Vicemagiſter (vt dicitur) Ferdinandi Archiducis Auſtriæ. Scripſit Cantiones varias, quas moteta appellant, ex veteri & nouo Teſtamento collectas, quatuor, quinque, & ſex vocum, Cantionum item Italicarum quinque vocum libros duos; eiuſdem ſuauiſſimarum Germanicarum Cantionum trium vocum, Tomus primus, ſecundus ac tertius prodiit Norimbergæ.

Iacobvs Papa Iprenſis Sacerdos & Poëta, edidit Elegias varias Brugis, typis Huberti Croci in quarto, pleræque ſunt; De certamine Galli cum Aquila, hoc eſt, de diſſenſione ciuili belliſque Franciſci Gallorum Regis, & Caroli Quinti Cæſaris.

Iacobvs Rogerivs Nervivs Poëta. Edidit, Valerio Teſte Pariſiis 1539. 8. apud Ioannem Ludouicum, Næopægnia ſeu Luſus pueriles.

Iacobvs Slvperivs Herzelenſis Flander Poëta & Sacerdos, varia à Geuziis pro fide paſſus, bonis exutus, ſede patriâ pulſus, in Picardia annis aliquot vixit, inde Atrebatum venit vltimam vitæ ſedem. Scripſit Elogia virorum bellicâ laude illuſtrium Carmine, Atrebati apud Gulielmum Riuerium. Poëmata item varia in queis ſunt hymni, Eclogæ VII. Luſus paſtorales, Epiſtolæ, aliaque ſacra, Antuerpiæ anno 1575. Obiit Atrebati ſeptuagenario maior 1602.

Iacobvs Varentivs Aldenardinus, Medicinæ Doctor, & Louanij Profeſſor, eiuſdem Academiæ ſæpiùs Rector fuit. An ediderit quidpiam, hactenus non legi. Inter claros Flandriæ Scriptores ponit eum Dionyſius Harduinus.

Iacobvs Volcardvs Bergenſis, Græcè Latineque adprimè doctus. Scripſit perelegantem orationem quodlibeticam de vſu eloquentię in obeundis muneribus publicis. Excudit Antuerpiæ 1526. Hillenus. Vixit familiaris Ioanni Secundo Poëtæ celeberrimi nominis, qui amico primis annis rapto Nœniam & Epitaphium luſit.

Ivcqvemantivs Grelevs Inſulenſis, Poëta Gallicus antiquus circa annum 1290. Scripſit Carmen fabuloſum de noua Vulpe. Satyra eſt in Reges, Principes, alioſque inferioris notæ homines. Librum mſc. in variis Galliæ Bibliothecis adſeruari aſſerit Harduinus.

IOANNES A GANDA, vulgò Gantois, Inſulenſis, Ordinis S. Franciſci Regularis obſeruantiæ. Scripſit librum qui appellatur Theſaurus Theologorum.

IOANNES A S. AMANDO, Medicus, & in D. Virginis Tornaci Canonicus. Scripſit de balneis quædam Venetiis à Iuntis excuſa, cum diuerſorum de balneis ſcriptis, de vſu idoneo auxiliorum, Moguntiæ 1534. eiuſdem Expoſitio ſiue Additio ſuper Antidotarium Nicolai, excuſa eſt cum Operibus Ioannis Meſnæ Venetiis apud Iuntam 1527. Exſtant & mſc. Areolæ eiuſdem de virtutibus ſimplicium in Bibliotheca Schenkiana, vt Schenkius ipſe in Bibliotheca Medica teſtatur.

IOANNES A LICHTERVELDE, Clariſſimus doctiſſimuſque Vir, Dominus de Beaurinart & du Croix. Filium habuit Ferdinandum à Lichteruelde in litteris maximè verſatum, ac Muſis amicum. Eius quædam extant Carmina elegantia & erudita.

IOANNES A SANCTO LAVRENTIO, Duacenſis, Eccleſiæ Collegiatæ apud Lenſenſes Decanus, & Græcarum Litterarum in Academia Duacenſi Profeſſor Regius. Edidit à ſe habitam Orationem funebrem in obitum Ioannis Miræi Antuerpienſis Epiſcopi. Duaci 1611. in 8. Viuere deſiit anno 1616.

IOANNES A PORTA, S. Theologiæ Licentiatus, Paſtor Vracenenſis in Flandria, pòſt Canonicus Audomaropolitanus. Edidit Flandricè relationem diſputationis de præſentia Chriſti in SS. Euchariſtia habitæ cum Ioanne Weſtphalo miniſtro Pitſenborchio, Antuerpiæ 1591. 8. apud Keerbergium

bergium. Maſſani Iconoclaſtarum, ſiue de vero vſu ſacrarum imaginum ibidem 1591. in 8.

Ioannes a Wardo Monachus Dunenſis Monaſterij, atque, vt ait Harduinus, Theologus famoſus, ac concionator diuini Verbi eloquentiſſimus. Floruit anno 1293. & dena capita ex Reliquiis vndecim millium Virginum Colonia Agrippina Dunas deportaſſe traditur: eius mentionem facit Meyerus lib. 10. Annalium Flandriç in vita Guidonis Dampetræ.

Ioannes Beverus, celeberrimi nominis Philoſophus, & in Collegio Standonico, quod vulgò Porcenſe dicitur, Louanij Profeſſor. Obiit 1563. ætatis 48. Profeſſionis Philoſophicæ 23. conditus ad D. Petri ad Aram D. Criſpino ſacram: exſtantque eius nomine editi Commentarij in libros Ariſtotelis de Phyſica auſcultatione, Louanij 1567. in folio. Hunc Valerius Hannonem ex pago iuxta Angiam Beuero, Harduinus Flandrum Waſianum ex eiuſdem nominis pago in Territorio Waſiæ ſito, facit.

Ioannes Cognatus Tornacenſis, S. Theologiæ Licentiatus, & Canonicus Cathedralis Eccleſiæ in Patria. Scripſit de fundamentis Religionis, hoc eſt, de Naturali Dei cognitione, de Immortalitate animç, & de Iuſtitia Dei, Orationes tres, Duaci apud Ioannem Bogardum. Item de proſperitate & exitio Salomonis: denique ſenex anniſque grauis, de Rebus Tornacenſium, Tomos ſeu Libros quatuor euulgauit.

Ioannes Bovdinivs Furnenſis. Scripſit librum de Iesv Chriſti Domini noſtri Rerum geſtarum, cùm in terris verſare

verſaretur claritate & gloriâ. Impreſſit Antuerpiæ Chriſto-phorus Plantinus in octauo. Item Compendium de rebus externis ad vitam Chriſti pertinentibus. Antuerpiæ apud eundem Plantinum 1591.

IOANNES BOVCHIERIVS, S. Theolog. Doctor Sorbonicus, & in Eccleſia Cathedrali Tornaci Canonicus, vir eruditiſſimus, & Orthodoxæ Religionis amantiſſimus, ob quam è Gallia profugus, in Belgium venit. Scripſit diſertè & eleganter ſermone Gallico Conciones quaſdam, quibus Henricum Quartum Galliæ & Nauarræ Regem falsò & ſimulatè ad Catholicam fidem veniſſe oſtendere conatur, & alia plura.

IOANNES BVRIDANVS Betunienſis Artefius Flandris vicinus, Lutetiæ Pariſiorum dum viueret Philoſophorum Princeps audiit. Scripſit Commentarium in Ariſtotelis Logicam, item in Ethicam eiuſdem, Typis editum.

IOANNES BOVRGESIVS, Houplimenſis Medicus Iprenſis, Latinitate donauit Laurentij Iouberti Henrici III. Galliarum Regis Archiatri lib. de vulgi erroribus Medicinæ, Medicorumque dignitatem deformantibus, Antuerp. apud Nutium 1600.

IOANNES COSTERVS Aloſtanus, S. Theolog. Licentiatus, Paſtor Aldenardenſis in Flandria. Edidit Inſtitutionem de exitu Ægypti & fuga Babylonis, hoc eſt, de exitu Catholicorum è ciuitatibus hæreticorum. Duaci apud Ioannem Bogardum anno 1580. Obiit Aldenardæ anno Domini 1580. Confundit huius & Ioannis Coſterij Louanienſis

ſcripta Poſſeuinus in apparatu ſacro, ait Valerius Andreas, & è duobus vnum facit.

IOANNES COTREAV Doctor Theologus Pariſienſis, & Canonicus Tornacenſis. Scripſit tractatum de quiete & tranquillitate animæ, Sermones ſuper Dominicas, de Decalogo, & Plagis Ægypti, & Orationes aliquot funebres.

IOANNES CASTELIVS Cheluus Flander, ex Pædonomo nobilitatis Flandricæ Paſtor animarum. Latini ac Græci Sermonis callētiſſimus fuit, edidit inſtitutiones artis Grammaticæ, collegit & Epithetorum Farraginem. Fertur quoque reddidiſſe Latinè quædam veterum Græcorum Epigrammata, Paraphraſin in Heſiodi opera. Exſtat eius Elegia in Iulium Cæſarem Goltzij.

IOANNES CAVDRONIVS Aloſtanus, edidit Teutonicis Rythmis Roſimundam Tragœdiam è Latino Iacobi Zeuecotij Auguſtiniani eleganter & appoſitè verſam. Impreſſit Gandaui Iudocus Doomſius.

IOANNES CAPPETIVS Theologus Inſulenſis, in D. Petri Canonicus. Scripſit demonſtrationes veræ Chriſti Eccleſiæ, deque Eccleſiæ & Scripturæ auctoritate lib. 3. de hæreſi & modo coërcendi hæreticos, Antuerpiæ 1591. apud Keerbergium, de Origine Canonicorum & eorum officio, de perpetua Sacerdotum caſtitate, item de Indulgentiis. Leguntur alia luce & prælo digna, Inſulis apud Reuerendum & doctiſſimum virum Oliuerium Florentinum ab Waterloop, Regentem in D. Paulli Collegio: vt, de ieiunio, de pœnitente & pœnitentiæ miniſtro, de pœnitentiis Canonicis &

cis & ſatisfactione, de Confeſſione ſecreta, de punitione hæreticorum, &c.

Ioannes Crombecivs Societatis Iesv Sacerdos Theologus, natione Belga, patriâ Duacenas. Edidit Antuerpiæ, De ſtudio perfectionis libros duos pietatis plenos.

Ioannes Coensivs Presbyter, S. Theologiæ Licentiatus, & Eccleſiæ Parœcialis S. Martini apud Cortracenſes Paſtor, vir rarâ probitate ac facundiâ. edidit varia ſermone vernaculo aſcetici argumenti. Πολέμικον item opus eruditum contra Apiarium. pernicioſus is liber eſt, & in hæreticorum manibus frequens, S.A.N. Aldegondij Caluiniſtæ.

Ioannes David Societatis Iesv Theologus, & Eccleſiaſtes egregius, è Paſtore ſancti Martini Cortracenſis, Rempub. litterariam variis quoque monumentis illuſtrauit, eorum hæc typis Plantinianis edita leguntur: Veridicus Chriſtianus in quarto cum figuris æneis cum diſſertatione de Ariolis, Pythonibus, &c. eiuſdem occaſio arrepta neglecta, illius commoda, huius incommoda, in quarto cum figuris æneis. Eiuſdem Paradiſus Sponſi & Sponſæ: in quo meſſis myrrhę & aromatum ex inſtrumentis & myſteriis Paſſionis Chriſti collecta, & Pancarpium Marianum ſeptemplici B. Virginis titulorum ſerie diſtinctum, in octauo cum figuris æneis. Eiuſdem duodecim ſpecula Deum aliquando videre deſideranti concinnata, in octáuo cum figuris æneis. Idem Ioannes Dauid collegit, & recenſuit opera Petri Simonis Tiletani, Epiſcopi Iprenſis. Edidit & Belgicè Aluearium aduerſus Philippum Aldegundium Caluinianum, Araneum hæreticum, Labyrinthum hæreticorum, Viridarium rituum ac ceremoniarum Eccleſiæ, Oeconomium Chriſtianum

cum ſpongia vitiorum ſortem ſapientiæ, item libellum, qui inſcribitur, LapisLydius, dedit & Latinè Amputandum putabam, quæ radix, ſtirps & germen eſt errorum. Quædam illorum Theodorus Petreius Carthuſianus. Colonienſis Latina fecit.

IOANNES DE BELLAGAMBA Duacenſis, Sculpturæ arte inclytus. Vixit circa annum Domini 1540. & memoratur à Georgio Vaſaro, Aretino ac Ludouico Guicciardino in libris iam ſæpè citatis.

IOANNES DE BONONIA, Duacenſis Architectonices & Sculpturæ nomine famigeratus, à Ludouico Guicciardino memoratur in deſcriptione Flandriæ. Floruit, Dionyſio Harduino teſte, circa annum Domini 1560.

IOANNES DE TENERAMVNDA Carthuſianus, fuit vir diuinarum litterarum cognitione ac vitæ ſanctimoniâ, vti Trithemius & Poſſeuinus teſtantur, admodum præſtans, quippe qui non ſolùm magna cum laude præfuit Carthuſiæ Siligniacenſi, quæ in partibus Sabaudiæ celebris eſt, verùm etiam eximiis litterarum monumentis claruit, è quibus Trithemius hæc commemorat. De notitia Dei, lib. 1. De reparatione lapſi, lib. 1. De gaudio hominis, lib. 1. De fide Chriſtiana, lib. 1. De conceptione Virginis, lib. 1. De natura & lapſu hominis, lib. 1. De amore Dei, lib. 1. De Sacramento Altaris, lib. 1. De honore Dei, lib. 1. &c. Vide Petreium.

IOANNES CVVILLONIVS Societatis IESV natione Belga, vt ait Ribadeneira, Patriâ Inſulenſis, Vir ſi quis alius, candidus, ſincerus, pius, eruditus, qui anno 1543. Louanij ſe So-

ſe Societati adiunxit, & in Luſitaniam profectus in Collegio Conimbricenſi, ac Romano, Ingolſtadiique in Germania, item Philoſophicas ac Theologicas diſciplinas profeſſus eſt, & in Concilio Tridentino Alberti Ducis Bauariæ nomine interfuit, ac ſententias cum aliis Patribus dixit, & piè vitâ functus eſt 1581. Reliquit Aſſertiones in Epiſtolam priorem D. Pauli ad Corinthios, quam Romæ eſt interpretatus, & in Pſalmos quæſtiones. Apponam elogium quo Academia Ingolſtadienſis Cuuillonium ornauit.

Ioannes Cvvillonivs Societatis Iesv, Sacroſanctæ Theologiæ Doctor, natus Inſulis, Nobili Flandriæ ciuitate, & maximorum ingeniorum matre, vnus ex primis Societatis Patribus fuit, qui Chriſto Ingolſtadij ſeruierunt. Multæ illi laus ex diligentia, ex doctrina, ex candore dicti & facti, maior, quòd qui aliis fuit maximus, & primus, vltimus ſibi ſemper videbatur & minimus, vir in ſumma ſimplicitate ſummè prudens, nihil in vita quærebat magis, quàm quietem ſolitudinis, pacem à turbis mundi; emiſſus tamen à ſuis, & quaſi Dei manu in diuerſas meſſes Galliæ, Italiæ, Luſitaniæ, Flandriæ, cum fructu magno plurimorum, nec minori cum dignitate ac laude in Concilio Tridentino fuit Sereniſſimi Ducis Bauariç Legatus. Tandem ſenex moritur Romç cùm è pœnitentiariis, qui ad Diui Petri obeunt Summi Pontificis vicariam operam, vnus cenſeretur, tam ſcitè conſcientias hominum tractare nouerat, vt maximus peccator dixerit, Malle ſe lancinari à Cuuillonio quàm ſanari ab alio.

Ioannes Despavterivs Niniuita, Grammaticorum ſui temporis facilè Princeps, ac Belgij noſtri Priſcianus. Doctorem habuit Louanij in Caſtrenſi, vt vocant, Pœdagogio, Ioannem Cuſtodem Brechtanum, pòſt ibidem in Lilij

Gymnaſio, dein Syluæ-Ducis, mox Bergis S. Winoci, demum Cominij apud Flandros ludum litterarium aperuit, multoſque erudiit, qui ſcriptis fuêre celebres ad honorum etiam gradus pòſt promoti. Scripſit Commentarios Grammaticos, in quibus Rudimenta, Grammatica, Syntaxis, Proſodia, de figuris & tropis. Pariſiis ſimul edidit Robertus Stephanus. in Compendium ſæpè ab aliis redactus diſcerptuſque eſt Deſpauterius, vt à Sebaſtiano Nouimola Duysburgenſi, & à Gabriele Prateolo Verſibus dein auctus, & in meliorem ordinem digeſtus ab Adolpho Metkercko, & Franciſco Nanſio Brugenſibus. Sepultus eſt Cominij apud Flandros circa annum 1514.

IOANNES DRVSIVS ſiue DRIFSCHIVS, Aldenardenſis, trium linguarum, & in primis Hebraicæ peritus: puer exulantem in Anglia ſecutus patrem, & ipſe ibidem corruptus, Religionem nomenque mutauit. Hebraicas Oxoniæ litteras per quadriennium docuit, pòſt Franekeræ apud Friſios eaſdem profeſſus eſt, & viuere deſiit 1616. Scripta illius vt Critica potiſſimùm ac Grammatica, ſpectantia erroribus quibuſdam expunctis ſiue item caſtigatis legendi ac ſcribendi modis legi poſſunt. Pleraque etiam ad ſacram Scripturam illuſtrandam ſublatis venenis, vt ait Valerius, profutura. Grammatica Hebræa Leonardiæ 1612. notæ in Grammaticam Clenardi, de recta lectione linguæ ſanctæ, Alphabetum Hebraicum vetus cum notis, de particulis Chaldaicis, Syriacis, Rabbinicis, veterum Sapientum Gnomæ, & plura alia, vide Valerium.

IOANNES EECHOVTIVS, Angianus, S. Theologiæ Profeſſor, & Theſaurarius S. Petri Inſulenſis. Scripſit aduerſus Bonetũ & Franciſcum Maronis, qui aſſerebant D. Ioannem Euange-

Euangeliſtam verum ac naturalem fuiſſe Deiparæ Virginis Filium, idque per tranſſubſtantiationem Corporis D. Ioannis in Corpus Chriſti. Legitur in Sportula fragmentorum Ægydij Carlerij. Obiit in Sclauonia Iairi depoſitus, vbi S. Simeon quieſcit 1471.

IOANNES ECKENDERBERGIVS Flander, Ordinis Fratrum Prædicatorum, teſte Dionyſio Harduino, in ſuis iam ſæpè memoratis commentarijs. Scripſit lecturam ſuper ſententias, & Poſtillas ſuper tota Biblia.

IOANNES QVARTVS filius Guidonis Flandriæ Comitis, Epiſcopus primùm Metenſis, Præpoſitus Brugenſis, Legum Doctor, Epiſcopus Leodienſis LXXI. fuit. Obiit anno 1292. II. Idus Octobris, Epiſcopatus XI. Huius eſt liber, qui inſcribitur, Statuta Synodalia Epiſcopatus Leodienſis, editus Louanij 1500. apud Theod. Aloſtanum.

IOANNES GHEESDALIVS Berchemius Aldenardinus, Didaſcalus apud Antuerpienſes. Scripſit in Natalem Domini noſtri Saluatoris IESV Chriſti varij generis Carmina dedicata M. Ioanni Martino I. C. ad D. Bauonis Cantori. Scripſit & Catechiſmum Carmine, ſeu capita doctrinæ Chriſtianæ ad iuuandam puerorum memoriam facili & perſpicuo Verſu. Etiam emiſit in lucem Stichologiam ſiue de ſyllabarum & Carminum ratione, libros duos, vniuerſam rei metricæ rationem exactè complectentes, vario metri genere ac ſtudioſæ iuuentutis vtilitatem explicatam, inſcriptam Maxæmiliano Vrientio: Excudit Ioannes Moretus. Acceſſit eiuſdem Gheeſdalij in temporis calamitatem elegia ſcripta ad Philippum Epiſcopum & Franciſcum Harduinum.

IOAN-

& Louanij ſtudiorum eaſdem publicè profeſſus. Scripſit exercitium Chriſtianæ pietatis, Græcij verò in Auſtria docens verificationem, ſeu Theoremata de anno ortus ac mortis Chriſti controuerſo, deque vniuerſa Chriſti in carne oeconomia, daturus breui & Tomos aliquot de ſacra Chronologia ſeu temporibus.

Ioannes Iperivs, ab Ipra Flandriæ opido loco natali ſic dictus, Abbas Cœnobij S. Bertini apud Audomaropolin Arteſiæ, vir cumprimis pius ac eruditus. Scripſit Monaſterij ſui Chronicon ab anno 590. quo ferè tempore natus fuit S. Bertinus vſq; ad annum 1294. variis cùm ſacris tum prophanis inſertis hiſtoriis. Quo olim Chronico in concinnandis Flandriæ Annalibus non mediocriter adiutus fuit: exſtat mſc. apud Bertinenſes & Duaci apud Cl. V. Andream Hoium, eloquentiæ ProfeſſoremRegium. Obiit Iperius 1383. die 11. Ianuarij, anno regiminis 17. vt ex Epitaphio conſtat, quod hodieque in D. Bertini legitur, & Meyero lib. 13. Annalium, qui ex Thoma Diacono eiuſdem loci Monacho refert tantillum fuiſſe abdominis, vt vix poterat incedere nec dormire niſi ſedendo.

Ioannes Haivs Servivs Societatis Iesv Theologus, Philoſophiam Louanij & Duaci ſacraſque litteras publicè profeſſus, gubernandi munus, vt ait Ribadeneira, diu tenuit. Edidit Duaci Belleri typis Quaternionem Euangeliſtarum, ſeu ſeriem è quatuor Euangeliſtis, & apparatum Euangelicum, veluti prolegomena ingentis operis. Concordiæ quatuor Euangeliſtarum, cum ſanctorum Patrum Græcorum Latinorumque in eandem ſententiis Catenæ Patrum in modum concinnatis, cui hunc indidit titulum admirandum: Triumphus Veritatis ordinati Euangelij quadriga inuectæ ſanctorum Patrum exercitu inſtructæ.

IOANNES HANTSAMIVS Ludimagiſter Cortracenſis, vir doctus, è cuius ſchola ſuperiori ætate viri multi eruditione clari prodiere. Scripſit quædam ad Grammaticam pertinentia. Moritur 1561. 15. Ianuarij. eum Carminibus ſuis laudat Franciſcus Hæmus.

IOANNES IVVENIS Iprenſis Medicus. Scripſit, teſte Valerio, in Bibliotheca ſua Belgica, De medicamentis Bezoardicis, Antuerpiæ cum libello Ægidij Gerardi de herba Panacea anno 1587. in 16.

IOANNES LENTAILLEVR Atrebas, verùm Aquicinctini in Flandria Cœnobij Abbas. Excitandum curauit inſigne Gymnaſium in Academia Duacena, illudque Patribus Societatis IESV regendum commiſit. Moriens varia reliquit mſc. ita Ferreolus Locrius in Catalogo.

IOANNES LENSAEVS Balliolanus ex oppidulo Belle Flandriæ Belgarum Prouinciæ (vt ait Callidius, cùm alij eum Hannonium faciant) in Occid. eius parte qua Arteſiam ſpectat oriundus. Louanij in Gymnaſio Falconis prima litterarum Rudimenta & Philoſophiam perraræ indolis & ſubtilis ingenij adoleſcens feliciſſimè perdidicit. illud Gymnaſium Ruardus Tapperus illius Academiæ Cancellarius, oratione nonâ inter Theologicas laudatiſſimum Pædagogium Doctorum virorum in omni facultate & diſciplina à multo tempore fœcundiſſimum parentem ſuſpiciendis encomiis concelebrat. ibidem adeptâ in liberalibus diſciplinis Laureâ magiſterij nouo Theologicæ Profeſſionis collegio (cui præerat Ioannes Heſſelius vir erudītiſſimus) adſcribitur. quum frugem inſignem & minimè vulgarem feciſſet, inter primos illius ſtudiis candidatos eruditionis nomine celebris, ad Gymna-

Gymnaſium denuò vocatur, vt Philoſophiæ pręceptis ipſe Philoſophus ſummus iuuentutē imbueret: verū ſublimiori palęſtræ altioris ſtudij exercitio aptatus in Parcenſi Abbatia, quæ à ſtudiis & monaſtica obſeruantia optimè audit, ſacræ lectioni præficitur; mox à Theologico Senatu ad ſummum eius profeſſionis faſtigium adſumptus,& publicis Theologicæ ſcholæ lectionibus & concertationum exercitiis admotus, magno totius auditorij plauſu excipitur, vir ſcholis natus,ſi rei cuiuis alteri.ſummam hauddubiè frugem Reip.Chriſtianę adtuliſſet ni bellorum turbine Caluinianæ hæreſios inualeſcente tumultu concitatā candidatorum numerus, tum in primis frequentiſſimus,variè diſperſus eſſet, quod igitur prælegendo efficere nequiuit, docto calamo conficere ſategit.quę res illi tanto felicius vtiliuſque ſuccedit, quod Ciceronianæ dictionis elegantiam (cuius rei minor apud alios cura eſt) ſtudioſâ imitatione æmuletur. Scripſit itaque,De vna Chriſti in terris Eccleſia,Louanij 1577. & 1588.8. De vnica Religione,Colonię 1579.8. De admirabili Eccleſię concordia, Louanij 1582.8. De verbo Dei non ſcripto, Antuerp.Plant.1591. 8. De libertate Chriſtiana,ibid.1590.8.De fidelium purgatorio,lib.2.&De Limbo Patrum,lib.1.Colonię 1583. & Louanij 1584.8. apud Maſium. De Eccleſiaſtica ſatisfactione pœnitentis, aduerſus Bened..Aretium, Louanij 1585.8.De fide,ſpe,& charitate, contra hęreticos,ibid.1599. 8.De piorum perſecutionibus, ibid.1570.8.apud Saſſenum. De officio hominis Chriſtiani conſtituti in perſecutione,ibid.1578.apud Zangrium.Contra Pſeudopatriotas & Genethliacos,Colonię 1580.8. apud Cholinum.De ſui ac Reip.Chriſtianę contra impium inuaſorem defenſione, Louanij 1582.8. Viuere deſiit Louanij an.1593.poſtrid.Kal.Iulij,CanonicusTornacenſis.Fratrem habuit Arnoldum,Medicū ac Mathemat. ſcriptis celebrem.

IOANNES LOÆVS Præpoſitus Euerſamienſis in Flandria Occidentali, Franciſci Hæmij & Iacobi Sluperij Carminibus celebratur, eiuſdem etiam quædam operibus eorundem inſerta leguntur.

IOANNES LOYS Patriâ Duacenſis, multa edidit Gallico Verſu. filius eius M. Nicolaus Philippus Loys Canonicus Tornacenſis etiamnum in viuis.

IOANNES MOLANVS, Inſulis in Flandria natus eſt 1533. quò mater prægnans venerat: ipſe verò Elinguis Gallus Louanium reductus Louanienſis audire maluit. Vir fuit cùm in omni hiſtoriarum genere tum in ſacra potiſſimùm verſatus, idque luſtrando venerandæ antiquitatis per Belgium monumenta & antiquæ fidei hiſtoriographos volutando, vt libri ab eo relicti declarant, non ex proprio conficti cerebro, ſed ex antiquiſſimis & melioris notæ hiſtoricis ferè concinnati, magni proindè à magnis æſtimari par eſt: tanti viri, inquit Cardinalis Baronius præfat. ad Martyrol. Romanum cap. 9. de Eccleſia Dei & veritate Catholica optimè meriti, nec breuem ſchedulam deperire æquanimiter patior: cui (dicam ingenuè) iſthæc omnia hac ex parte accepta fero, quòd in denſiſſimam ſyluam primus ipſe ingreſſus, mihi aliiſque aditum patefecit; quo etiam nomine cùm ego, tum eruditi omnes plurimùm nos ei debere lubenter agnoſcimus & confitemur. Scripta Molani ſunt, Vſuardi Martyrologium cum notis, Indiculus Sanctorum Belgij, Natales Sanctorum Belgij cum Acephaleoſi Chronica, Diarium de medicis ſanctis, Militia ſacra Ducum ac Principum Brabantiæ, De Picturis ac Imaginibus ſacris, De Canonicis libros tres, De fide hæreticis ſeruanda, De fide rebellibus ſeruanda, De fide & iuramento quæ à Tyranno

ranno exiguntur, De teſtamentis & quacunque piæ voluntatis diſpoſitione, Theologiæ practicæ Compendium. Latent apud hæredes digna quæ lucem videant; Roman. Martyrologium, Annales vrbis Louanienſis, Bibliotheca Theologica. Obiit Louanij 1585. S. Theologiæ Doctor & Profeſſor Regius.

Ioannes Molanvs alius ab illo Theologo celebri. Scripſit Carmen quod cum Arnoldi Berchemij Carminibus legitur Antuerp. anno 1560. Fuit Rector Scholæ Bremenſis.

Ioannes Macarivs, vulgò L'heureux, Greueningamus Flander, Æirienſis apud Arteſios Canonicus, vir in Linguarum Græcæ atque Latinæ cognitione eximius, quas puer Bergis S. Winoci. apud Flandros ſub Paulo Leopardo hauſerat ipſos viginti annos in vrbe, orbis terrarumque domina hæſit in ſcrutandis veterum monumentis excutiendiſque Bibliothecis aſſiduus, multum è media Græcia allata Latio donauit, nihil tamen vnquam in lucem ac Doctorum ora venire paſſus eſt, quâ erat modeſtiâ, bonis ac doctis omnibus ſubmoleſta, ſibi itaque ſcripſit pluraque meditanti mors præpropera velut manum iniecit, anno 1604. Scripta ſchedaſque moriens Bibliothecæ Collegij Trilinguis Buſlidiani apud Louanienſes legauit, è quibus luce ac prœlo digna ſunt, De antiqua ſcribendi ratione, De natura verbi medij, ac ferè de tota natura verborum Græcorum, Inſcriptiones Græcæ, interprete Macario, cum notis eiuſdem, Editio Bibliorum Romana, Diſquiſitio antiquaria, De gemmis Baſilidianis, Commentarius de picturis ac ſculpturis ſacris antiquioribus, præſertim quæ Romæ reperiuntur cui titulus, Hagioglypta. Baſilius Seleuciæ Epiſcopus de vita beatæ

 Theclæ,

Theclæ. Homiliæ in Quatriduanum Lazarum eiuſdem. Epiſtolæ quoque ad Optimum de eo Scripturæ loco iuxta LXX. omnis qui occiderit ſepties vindictam exſoluet, Cyrilli oratio in transfiguratione & alia quædam.

IOANNES MAHVSIVS Minorita Aldenardenſis, primus electus fuit Dauentrienſis Eccleſiæ Epiſcopus, verùm ſenio & ingenti corporis mole grauato hydropiſi accedente, & hinc functioni inidoneo, alius ex eodem ordine ſurrogatur. Scripſit Epitomen Annotationum Eraſmi in nouum Teſtamentum, & Commentarios in Epiſtolas Pauli. Vide plura apud Valerium, & maiora optimi viri encomia.

IOANNES MOROCVRTIVS Tornacenſis, Prior Carthuſiæ Valentinianenſis. Deſcripſit Verſibus Latinis vitam SS. Brunonis & Hugonis. Libros Brunoniades & Hugoniades appellauit. Obiit anno Domini 1546. IV. Idibus Octobris. Vide Petreium. Scripſit & Threnodiam aduerſus Lutheranos, & nonnulla de Natiuitate Domini, ac rebus geſtis S. Laurentij martyris.

IOANNES PALVDANVS Neruius Poëta & Litterator primùm Gandauum, inde Tornaci, pòſt Montibus Hanoniæ iuuentutem docuit, in quo vitæ genere annos conſumpſit plus minus triginta. Reliquit Dictionariolum puerorum Idiomate Lat. Gall. Fland. Sententias item collegit ex Iſocrate.

IOANNES ROVARDVS Minorita Aldenardenſis, Eccleſiaſtes diſertus. Floruit Antuerpiæ & Brugis, vnde deceptus Sixtus Senenſis Antuerpianum credidit. Edidit Coloniæ anno

anno 1550. Antuerpiæ 1553. apud Stelſium, & Lugduni 1573. in octauo, Conciones in Epiſtolas & Euangelia Dominicalia, & de Sanctis, item in Epiſtolas & Euangelia Feriarum. Viuebat anno Domini 1540. Commiſſarius generalis eiuſdem Ordinis in Scotia fuit. Brugis in Eccleſia Franciſcanorum ſepultus.

IOANNES RVBVS Theologus Duacenſis, vertit è Græco Organum Ariſtotelis. Scripſit & Concordiam Euangelicam, & Commentarium in Epiſtolas ſancti Ioannis. Obiit Duaci in D. Petri Præpoſitus, & Academiæ Cancellarius anno 1595.

IOANNES NEVIVS Hondiſcotanus Ioannis Deſpauterij præclari Grammatici Præceptor doctiſſimus, & Pædagogij Lilienſis apud Louanienſ. Præſes circa annũ Domini 1516. Eraſmo Roterodamo eruditionis nomine percharus. Huius nihil extare putat Harduinus præter aliquot elegantes Epiſtolas Latinas.

IOANNES SARDYVS Neoportuenſis Flander, Leydæ apud Batauos adhuc Catholicè agentes ludum aperuit. Scripſit Grammatices prima Rudimenta, Syntaxeos Græcæ ac Latinæ methodum, Antuerpiæ anno 1554. in 8. apud Loæum.

IOANNES SINDEVINDIVS Litteraturâ inſignis, oriundus ab Bocholte, Monachus Dunenſis, apud Pariſios Theol. Profeſſor. Sepultus eſt in Dunenſi Monaſterio ſuo, iuxta Thomæ Abbæ Dunenſis tumulum. Vide Meyerum anno 1319. in Annalibus.

IOAN-

Ioannes Six Inſulenſis, Homilias quaſdam & Epiſtolas poſteris reliquit. Sepultus eſt Inſulis in D. Petri, vbi tale ipſi Epitaphium: Ioannes Six Epiſcopus Audomaropolitanus Secundus, anteà Paſtor Eccleſiæ Parochialis ſancti Stephani huius oppidi patriæ ſuæ, frequentioribus cleri & populi orationibus deſiderans eſſe commendatior, hunc ſibi viuens ſepulturæ locum elegit, qui dum iter faceret montes Hannoniȩ ad Synodum Prouincialem, apud hanc Eccleſiam obdormiuit ætatis 53. Epiſcopatus 6. Chriſti 1586. Iudicium cogita. Extat in laudem eius Oratio funebris Franciſci Lucæ.

Ioannes Smoritivs Sacellanus D. Donatiani Brugenſis, Codicem quendam conſcripſit, de miraculis & rebus in Eccleſia ſancti Donatiani quæ Brugis eſt. memoratur à Meyero lib. 2. Annalium Flandriæ circa finem.

Ioannes Strativs Flander. huius exſtat Oratio gratulatoria ad Eleonoram Caroli V. Cæſaris ſororem, Galliæ Reginam, de eius matrimonio cum Franciſco Gallorum Rege. Impreſſit Baſileæ Oporinus cum Burgundia Gilberti Cognati. Eam Orationem auctor dedicauit illuſtri viro Franciſco à Turri Vicecomiti Turrenſi, qui legatus in præſentia multorum virorum Principum, Eleonoram per deſponſationis ſolemnia futuri Connubij nodo Chriſtianiſſimo Regi coniunxit.

Ioannes Straselivs Flander, à patria Strazeel, altero à Belliola lapide cognomen habet. bonis primùm litteris Louanij operam dedit, pòſt Lutetiȩ annos ferè ſex & viginti Regius Græcarum litterarum Profeſſor multos erudiit. Huius explanationem in aurea Carmina Pythagoræ Franciſcus

ciſcus Thorius in lucem protulit 1562.4. Cætera ἀτέλεστα reliquit. Exſtat libellus Epitaphiorum in mortem Straſelij à Ioanne Aurato, Leodegario à Quercu, Roberto Straſelio, Franciſco Thorio, aliiſque contextus. Thorius diſtichon Chronographicum anni 58. ei poſuit:

BeLLVLa progenVIt, fInXItq̃Ve BrabantICa TeLLVs,
OpſtVpVIt, rapVIt GaLLIa StraſeLIVM.

Ioannes Sylvagius, vulgò Sauluaige, Louanij (vt ait Harduinus) publicè jura ciuilia eſt profeſſus. Flandriæ primùm Præſes, poſteà etiam Brabantiæ Cancellarius fuit. de quo viro plura adfert idem Harduinus in vitis Præſidum Flandriæ à ſe deſcriptis. Reſponſa quædam in Iure, quædam etiam ad praxin pertinentia ſcripſit, quæ tamen ad manus Harduini, vti & meas, non peruenerunt.

Ioannes Sullius, Gerardimontanus, Flander, Medici titulum Louanij accepit; nunc Cortraci agit, vrbis Medicus. Scripſit Methodum praxeos Medicæ. Vrſellis 1606.16.

Ioannes Sylvius Inſulenſis, Medicinam primùm Valencenis factitauit, poſteà eandem Duaci profeſſus eſt. Reliquit poſteris Dialogos ſeu priuatas puerorum collocutiones & carmina, Academię Duacenſis naſcentis, & Profeſſorum eiuſdem encomiũ, De morbi articularis curatione, Declamationem de morbo Gallico, de ſtudioſorum valetudine curanda, tabulas pharmacorum. Obiit anno 1576. Nonis Aprilis.

Ioannes Tinctor, S. Th. Profeſſor, Canonicus Tornacenſis. Scripſit librum eruditum, de vitio proprietatis contra

Waldenſes mſc. Louanij apud Martinianos. Legitur eiuſdem Conſultatio de Confeſſionis integritate, in Sportula fragmentorum Ægidij Carlerij, item altera aduerſus Bonetum quendam & Franciſcum de Maronis, aſſerentes S. Ioannem Euangeliſtam fuiſſe verum ac naturalem filium B. Mariæ Virginis. Reliquit prætereà Quæſtiones in lib. 4. Sentent. mſc. Louanij in Collegio Theologorum, In primam partem D. Thomę mſc. apud Bertinianos, In primam ſecundæ mſc. olim Hagæ Comitis & Roterodami apud Dominicanos. Ex Bunderio.

IOANNES VENDEVILLIVS, natus Inſulis Flandrorum 1527. die 24. Iunij, anno ætatis 15. Pariſios miſſus juri ciuili operam non ſegnem dedit. Vſum huic forenſem iunxit in Curia Arteſiæ, non multùm pòſt Louanium conceſſit, primumque iuris vtriuſque Licentiatus, mox Doctor renunciatus fuit, nactus collegas, Ioannem Wameſum, Ioachimum Hopperum, & Petrum Pecquium, omnes ingenij, doctrinæ & honorum inſignes titulis. Vendeuillius cùm auctor ſuaſorque fuiſſet Regi Catholico, vt nouam in Belgio Academiam erigeret, primus Duacum ad primariam juris Cathedram euocatus fuit. Rebus inibi turbatis, aut nō ita quietis, cedens loco & factioni Auraici, Leodicū, Pariſios & Coloniā ſeceſſit Reuocatus à Ioanne Auſtriaco priuati Cōcilij Aſſeſſor fuit nominatus Regis nomine, & elata vxore Neruiorum Epiſcopus. Vir ingenio, doctrinâ, & in primis pietate erga Deum, beneficentia in pauperes, zelo propugnandæ ac propagandæ Eccleſiæ admirabilis, cuius ſolius vita exemplo ſit, quid quantumque in quouis vitæ genere præſtare quis poſſit & debeat. Cæteras virtutes complexus eſt Nicolaus Zoeſius Epiſcopus Syluæducenſis: qui ſcripta eiuſdem recenſet, è quibus adhuc nihil excuſum. De principiis juris, Edicti

Edicti perpetui Saluij Iuliani & Codicis Theodoſiani cum Iuſtiniani Imperatoris Legiſlatione Comparatio. De gentilibus, paganis, Idololatricis & Hæreticis conuertendis ad Gregorium XIII. Paſtorale Eccleſiæ Tornacenſis à Vendeuillio editum. Obiit Tornaci 1595. ætatis 66.

IOANNES VISCHERIVS Winocibergenſis, S. Theologiæ Licentiatus, Paſtor primùm & Decanus Dixmudanus, inde S. Martini Iprenſis, & dein Iprenſium Epiſcopus, vir facundi oris & zeloſi pectoris fuit, qui cùm magna diligentia, & ouium ſibi creditarum cura Diœceſin Iprenſem viſitat, & eas indefeſſa diuini verbi prædicatione, non per vrbes modò, ſed per vicos etiam & caſtella paſcit, laboribus piis immoritur.

IOANNES GELDRIVS Ruſſelanus Flander, Brugis ludum aperuit, fuitque eorum vnus, qui, Laurinorum auſpiciis, hiſtoriam Romanam ac Græcam typis & induſtriâ Huberti Goltzij euulgatam illuſtrarunt. Habuit & alia pre manibus, vt Epigrammata Græca Latino Verſu reddita, ſed quid iis factum, ait Valerius, adhuc ignoro.

IOANNES DE LA HAYE Canonicus Tornacenſis. Scripſit Epiſtolam ad Viglium Zuichemum, De Reliquiarum S. Cypriani ad Eccleſiam Rotnacenſem tranſlatione, legitur in operibus Cypriani, Pamelij curâ editis.

IOANNES LANGHECRVCIVS Iuris Canonici Doctor, & in Academia Louanienſi Profeſſor, Præpoſitus dein Caſſetanus in Flandria. Scripſit Speculum Eccleſiaſticorum, de diuinis officiis debitè peragendis, & de malorum horum temporum remediis, Duaci anno 1584. in octauo, De vita

& honeſtate Canonicorum & aliorum Eccleſiaſticorum, ibidem 1587. Flores ſpiritales Deo offerendos ex Pſalmis decerpſit, & in Precationum formam redegit, Antuerpiæ 1592. apud Bellerum.

IOANNES ALDEBVRGVS, Flander, Carmélita, inter cætera ingenij monumenta reliquit De formalitatibus, lib. 1. De ſufficientia Syllogiſmorum, lib. 1. De Senſu & Senſato, lib. 2. & alia. Ex Arnoldo Boſtio.

IOANNES GYA, Caſſetanus, Flander, ſacrarum litterarum Lutetię Pariſiorum aſſiduus & diligens Profeſſor, Guilielmo Budæo admodum familiaris vixit: in cuius etiam libros tres de contemptu rerum fortuitarum Commentarios ſcripſit, Pariſiis apud Badium 1526.4. Deceſſit Pariſiis, an. 1557. vt patet ex diſticho hoc numerali Franc. Thorij.

CasLetVM genVIt, rapVIt te GaLLIA, GIa,
NeXIbVs eXVtVs CorporIs, aſtra CoLIs.

IOANNES GALLEMARTIVS, S. Theol. Doctor & Profeſſor Duaci, dedit auctas repurgataſque Deciſiones ac Declarationes illuſtrium Cardinalium Concilij Tridentini interpretum, Duaci 1618.8. & alibi.

IOANNES HARLEBEKIVS, Flander, à natali ſolo ſic dictus, ſcripſit librum de hora ſolida: qui in Bibliotheca Eccleſiæ Cameracenſis mſc. exſtare dicitur.

IOANNES POLLETIVS Cortracenſis Theol. memoratur à Iacobo Marchantio in deſcriptione vrbis Cortracenſis; fratrem habuit Raphaelem I.C. Vterq; per Antonij Meyeri epicedia laudatus eſt.

IOAN-

Ioannes Federicvs Lvmmivs, (à pago Lumen, ditionis Leodicenſis, æquali ferè Dieſthemium inter & Haſſeletum interuallo. Paſtor fuit ſacrarum Virginum, quas Beginas vocant, Antuerp. habitant & Teneramundę in Flandria (Harduino teſte) vbi & eiuſdem inſtituti Virginibus prçfuit. Vir pietate & doctrinâ clarus; Nic. Eſchij, Prçceptoris optimi, optimus diſcipulus. Turbatis verò Antuerpiæ ob Religionem rebus, Leodicum ſeceſſit, & annos ibi aliquot moratus eſt, donec recuperatâ Antuerpiâ, ad priſtinum munus rediit: quo cum laude functus, ac deinde defunctus fuit. Obiit an. 1602. ætatis 69. 6. Kal. Mart. ſepultus in Beginagio. Ex ſcriptis verò eius hæc vidimus: De extremo Dei judicio, & Iudæorum vocatione lib. 2. Antuerp. 1567. & 1594. 8. Venetiis, 1569. 4. Theſaurum Chriſtiani hominis, è ſcriptis B. Auguſtini libris 6. Primus de contemptu eſt diuitiarũ. II. De flagello Dei. III. De proſperitate & aduerſitate huius ſçculi. IV. De felicitate cœleſtis patriæ. V. & VI. De Chriſto & Eccleſia, typis Plant. 1588. 8. Strenam Euangelicam, De vita & Paſſione Chriſti, Carmine, ibid. 1568. 8. Elegiam benè longam de piaculis Adamiticis, ad Lęu. Torrentium Epiſc. Antuerp. in 8. 1600. Brabãtico verò idiomate dedit elegantes Dialogos, De vita Chriſtianæ Virginis, Et ex B. Ambroſio, De Virgine lapſa, typis Plant. 1571. iiſdemq; formis, an. 1589. prodierunt, De Chriſtianæ vitæ reformatione, libri 6. De diſciplina domeſtica, libri 7. Olympiæ, ſeu de ſui cõuerſione Dialogus, 1600. 8. De mundi fuga, & ad cœlum curſu, libri 6. Louanij 1580. Exercitia ſpiritualia Virginibus Antuerpienſib. quoq; ſcripſit 1601. in 12. Deniq; Meditationes dedit Laicis in Miſſæ ſacrificio, 1601. in 16.

Ieremias Pierssenaevs, Iuris vtriuſq; Doctor, vrbique ac territorio Iprenſi ab Actis. Scripſit hactenus Odam

Lyricam ad Chriſtophorum Aſſonuilium Equitem, Sanctioris Concilij Senatorem, quâ tempora bonis artibus ac ſuis inprimis conatibus infeſta deplorat, ac ſpem ab humanitate eiuſdem viri, & ab eximio eius in liberales diſciplinas adfectu concipit. Luſit & Carmen gratulatorium Sereniſſimis Alberto & Iſabellę Belgij Principibus Gandauum introeuntibus anno ſæculari. Gandaui apud Gualterum Manilium. Elegiam item funebrem in obitum V. Cl. Iuſti Lipſij. Exſtat in fama poſthuma eiuſdem.

IVDOCVS ANDRIES Societatis IESV Sacerdos, & Eccleſiaſtes egregius, multa hactenus ſed tacito nomine edidit, quæ licet molem & numerum non habeant paginarium, vtilia tamen ſunt quàm maximè ad pietatem in animis fidelium excitandam, inſigniterq; promouendam. An. 1623. & aliquot præcedentibus, Gandaui cum fructu & applauſu, verbum Dei prædicabat.

IVDOCVS BRAKELIVS Eques, Iuris vtriuſque Doctor, & in Curia Flandriæ Senator, à Iacobo Marchantio memoratur in deſcriptione Aldenardæ.

IVDOCVS CLYCHTOVÆVS Neoportuenſis, Doctor Sorbonicus, & Canonicus Carnotenſis in Gallia. Louanij in Collegio Lilienſi Philoſophiæ Peripateticæ operam dedit, acceptiſque magiſterij vt vocant inſignibus & Theologiæ principiis, Tornaci Neruiorum ad S. Iacobum Paſtor fuit, inde Gallias adiit ingenij excolendi ſtudiorumque gratia, & vitæ mortiſque ſedem ibidem poſuit. Hunc Eraſmus, ſcribens ad Ludouicum Epiſcopum Tornacenſem, vberrimum vocat rerum optimarum fontem, & dilutiones edidit in eundem. Lutherus primos inter Antagoniſtam habuit, & fidem

fidem Orthodoxæ contra perfidiam ſuam defenſorem. Scripſit multa ad Theologiam ac Philoſophiam ſpectantia, quorum hic Elenchus: Introductiones in Dialecticam; Scholia in Paraphraſes Iacobi Fabri, De praxi numerandi Compendium; Commentarius in Arithmeticam Boëtij; Cõmentarius in Theoricam Planetarum Iacobi Fabri; Commentarius in elegantias Dathi; Commentarius in Ioannem Damaſcenũ; Elucidarium Eccleſiaſticum, Propugnaculum Eccleſiæ, Antilutherus, Doctrina moriendi, &c. Omnia ferè Pariſiis à Simone Colinæo edita.

Ivdocvs Cortewilivs vir nobilis & Eques Calatrauæ, Belliolanus & Primarius Arcani Concilij Secretarius fuit. memoratur à Marchantio in Bellæ deſcriptione.

Ivstvs Ivdocvs Decvlfo, Cortracenſis, Ioannis fil. adoleſcens admodum è Belgio diſcedens bellis infeſto, relictâque Flandriâ ſuâ Belgij flore, fanaticorum hominum libidine, vt meritò ait Valerius, fœdè deflorata, primò Galliam adiit, & in familia vixit Augerij Giſleni Busbequij, vſus familiaritate eiuſdem; hinc Italiam petiit, inde in Burgundiam venit, & Veſontione primò litteras politiores docuit, mox in Dolana Academia Philoſophiam iis iunxit (cuius Louanij inſignia acceperat) & docuit eamdem Regio honorario. Iuris ſumpto titulo, in patriam 1584. reuertit. Vidi, illo auctore, ait Valerius, Orationes VII. Dolæ habitas, Epiſtolas aliquot & Carmina miſcelli generis.

Ivdocvs Hondivs Flander, celebris Amſtelodami in Batauia Coſmographus. Varias orbis Geographicas ac Hydrographicas edidit tabulas, auxit Gerardi Mercatoris Atlantem, maiorem ac verè maximum reddidit.

Ivdo-

IVDOCVS RAVESTEYN, Tiletanus, Flander, Præpoſitus Walcurienſis in Diœceſi Namurcenſi, Doctor Theologus, & Profeſſor in Academia Louanienſi, ac priuilegiorum eiuſdem conſeruator, Colloquio Wormatienſi anno 1557. interfuit, vnà cum Franciſco Sonnio, Barthol. Latomo, & Petro Caniſio, Belgis. Obiit anno 1570. 7. Idus Februarij, in maiori Xenodochio humatus. Scripſit defenſiones decretorum Concilij Trident. contra Martini Chemnitij examen Tom. 2. Louanij 1568. & 1570. in 8. Coloniæ 1607. in 8. Confutationem miniſtrorum Antuerpienſium, Auguſtanæ Confeſſioni conſentientium, Louanij anno 1567. in octauo, Apologiam pro eadem aduerſus Matthiam Flaccum, Illyricum ibidem 1568. in 8. Contra Molinæum pro Concilio Tridentino.

IVDOCVS SCHOLARDVS Gerardimontenſis Poëta. Scripſit Carmine vitas Comitum Flandriæ. Liber mſc. apud filium eſt, breui euulgandus.

IVDOCVS VELARAEVS, Verbroecanus, Flander, vt puto, ait Valerius, Ludum aperuit litterarum Antuerpiæ, è Græco Latinè reddidit proſâ oratione Homeri hymnos XXXII. Quinti Calabri Paralipomena Homeri, Colutum Thebanum de raptu Helenæ, Palæphatum de non credendis Hiſtoriis, Pharnutum de natura Deorum, Luciani orationem de Aſtrologia, Plutarchi denique libellos tres. I. De ſuperſtitione. II. Quo pacto ſe quis citra inuidiam laudare poſſet. III. De futili loquacitate. Reddidit & Græcè Petri Moſellani Pædologiam, Dialogis 37. comprehenſam. Excudit ibidem Grapheus anno 1532. in 8.

IVDOCVS AB ASCA, Ordinis B. Mariæ Virginis de monte

monte Carmelo, S. Theol. Baccalaureus, Monaſterij Aloſtani Prior. Scripſit vernaculo Sermone, Theſaurum ſacri Scapularis Carmelitani, Antuerpiæ, 1619. apud Cornelium Verſchurium.

IVLIANVS AVRELIVS Haurechus, Leſſignienſis, Haurio, I. V. Doctor, poſt obitas Gallicas Academias in ſupremo Conſiſtorio Mechlinienſi cauſarum Patronus, dein Philippo Croiaco, Duci Arſchotano, eiuſque filiis Carolo & Philippo à Conſiliis. Scripſit, De cognominibus Deorum gentilium, libros tres, Antuerp. 1541. 8. & Auctores Louanij 1569. in 8. Commentarium & Paraphraſin in duas priores Horatij Satyras, Antuerp. 1541. 8. typis Ant. Goini.

IVSTVS A BALBIANO Flander, Medicinæ Doctor, vt ait Valerius in Bibliotheca. Edidit in Italia, Nouam rationem praxeos Medicinæ libris III. Excuſi ſunt Venetiis anno 1600. 8.

LAMBERTVS à BRIAERDE Dunkerckanus, quatuordecim fratrum natu minimus. Vir ſummâ eruditione & experientiâ, Eques Auratus, Magiſter primùm libellorum ſupplicum in Concilio Mechlinienſi, deinde eiuſdem Concilij Præſes, Carolo V. Cæſari chariſſimus, cuius ferè omnibus ſemper Conciliis interfuit, cùm annos ferè triginta Præſidatu innocenter functus eſſet, eo ceſſit, ac altero anno qui fuit 1557. decimâ Octobris Mechliniæ, naturæ debitum ſoluit. Sepultus ibidem in S. Ioannis, vbi nigri marmoris lapis ad ſiniſtram Summi Altaris Epitaphium eius continet, & reliquit ſeminata poſteris, tractatum Flandricè ſcriptum, quo docetur, quomodo ſecundùm ius ſcriptũ procedatur in actionibus perſonalibus realib. mixtis, criminalibus item ac

P benefi-

beneficialibus tam in ſuprema Curia Pariſienſi, & aliis omnibus Prouincialibus tribunalibus Franciæ, quàm Parlamento Mechlinienſi, Cancellaria Brabantię, Concilio Flandriæ & aliis Curiis Belgicis. Scripſit & opus Conſiliorum ſiue Reſponſorum juris Latinè, ſicut ipſe indicat cap. 136. quod eſt de materia appellationis cap. 55. item cap. 178. vbi agit de reſtitutione eius, quod vi aut clàm factum eſt. Huius viri (inquit Harduinus) inter Togatos ſuæ ætatis in Belgio longè maximi vitam ſcripſimus, quæ propediem prodibit cum Catalogo ſeu ſerie hiſtorica omnium Præſidum Concilij Mechlinienſis.

LAVRENTIVS PRATANVS Neruius, Canonicus in Patria, Scripſit anno 1547. exiſtens Tridenti hiſtoriam rerum in Synodo Tridentina geſtarum: ad Otthonem Truchſeſium Cardinalem & Epiſcopum Auguſtanum. Vidi illam mſc. Tornaci. Valerius.

LAVRENTIVS DORPERIVS Tiletanus, Abbas S. Amandi Elnonenſis. Obiit 1621. ob virtutem ac ſingularem eruditionem ad id muneris antè promotus.

LAVRENTIVS CVPERVS, Gerardimontanus, (quē Epitomator Bibliothecę Geſnerianæ modò Cauperum, modò Cupræum ineptè vocat, & diuerſos facit) Carmelitarū per Belgiū Prouincialis, Theologus & Eccleſiaſtes diſertiſſimus, ac patriæ hiſtoriæ peritiſſimus fuit. è Gallico Latinè reddidit Theatrum mundi minoris, ſiue humanæ calamitatis. Adiecit libellum de dignitate hominis, Antuerp. 1576. B. Annæ Genealogiam & vitam ex vetuſtiſſimis Eccleſiæ Doctoribus concinnauit ἀνθρώπων ἔσχατα, quatuor hominum nouiſſima concionibus 24. explicauit. Cum Paræneſi eiuſdem ad ſtu-

ad ſtudium ſpiritalis militiæ. Brabantiæ denique Chronica adornauit. Leguntur Bruxellæ apud Carmelitas. Addit Lucius Commentarium in Eſther, in Ruth, & Sermones de Dominicis & Feſtis. Obiit Bruxellis anno Domini 1594. 29. Martij.

LAVRENTIVS cognomento MVSGHESELIVS, vt ait Petreius, origine Flander, quanto animi feruore mundana omnia miſſa fecerit, atque ad celebrem illam Carthuſiam, quæ prope Angianum Hannoniæ oppidum ſita eſt, ſeſe contulerit, conſtat ex capite 25. lib. 7. Chronici Petri Dorlandi, nec non ex cap. 35. Arnoldi Boſtij, quem & his inſuper verbis Sutorius noſter commendauit: Laurentius Pater celebris, virtutibuſque ac litteris affatim refertus, magno animarum zelo efferbuit; quas opere, linguâ, calamoque Chriſto lucrari ſtuduit, ſed & tanta deuotione ac vitæ ſanctimoniâ præditus fuit, vt & diuinis reuelationibus fuerit dotatus. Siquidem à beatiſſima virgine & martyre Catharina, quam vnicè dilexit, crebriùs viſitatus, & roſâ cœleſti vice quadam dotatus eſſe fertur. quod & Dorlandus ſuo quoque confirmat teſtimonio loco ſuprà citato. Scripſit autem inter alia, ait idem Sutor de amore ſilentij & ſolitudinis librum, item tractatum de ſertulo, niſi mendum fortè ſit in exemplari, Domini noſtri IESV Chriſti, & alia quædam. Porrò quænam iſta alia ſint non refert, niſi quòd Dorlandus ait compoſuiſſe eum, vel potiùs cælitus hauſiſſe, exercitium quoddam ſpiritale de Paruulo & Agno, quo tempore diuini officij ex debito perſoluendi magno cum fructu vti erat ſolitus, eſtque horis Canonicis ad morem Ordinis Carthuſienſis accommodatum, reperiturque penes nos mſc. Vixit verò hic pientiſſimus Pater in ordine ad annos plus quadraginta, fuitq; octennio Prior in præfata domo Capellæ, ac tandem

non ſine ſanctitatis opinione 1477. Hinc ad Superos migrauit, dicens ſe nec mortem timere, nec diabolum mortis auctorem; adeoque nec infernum ipſum, quippe cùm perfecta charitas foràs mittit timorem.

LEANDER A SANCTO MARTINO, Ordinis S. Benedicti ſtrictioris obſeruantiæ, S. Theologiæ Doctor, & Hebraicæ linguæ Regius in Academia Duacenſi Profeſſor, vir vndequaque doctiſſimus. Egregiam inprimis operam nauauit in Lyrano & Gloſſa ordinaria Bibliorum Duaci nuper editorum reſtituenda.

LEO MEYERVS, primùm Eccleſiæ Collegiatæ S. Pharaildis Gandaui, dein Harlebecæ ad S. Saluatorem Præpoſitus, Philologus, Poeta ac Iuriſconſultus egregius, & Canonum præſertim ſcientiâ clarus. Edidit varios in gratiam amicorum Verſus. Scripſit & Carmen in laudem pacis Gallicum ad Sereniſſimum Archiducem Auſtriæ Albertum. Leguntur & eiuſdem Panegyrici tres in Feſtis B. Mariæ Virginis Gandaui apud Patres Societatis IESV dicti. Adornauit & funus Gulielmo ab Aſſonleuilla Chriſtophori filio.

LEVINVS CRVCIVS Aldenardinus, Parochus Boſcepanus. Scripſit Florilegium procerum linguæ Latinæ. exſtat eiuſdem Threnodia ad Franciſcum Craneveldium in temeraria quorundam Criticorum Iudicia, item Parænesis ad Potentatus Chriſtianos elegiaco Carmine, quâ hortatur, vt percuſſo inter ſe fœdere ferrum in Turcam & Lutherum, illiuſque coniuratos ac pertinaces adſeclas conuertant, infectis aliquot de rebus Orthodoxæ fidei diſſertatiunculis, Polydori Virgilij Adagia ſacra Flandricè Latineque interpretatus

tatus eſt. De Leuino Crucio ita Martinus Antonius Delrio l. 3. part. quæſt. 4. ſect. 9. Diſquiſitionum Magicarum. Eſt penes me libellus mſc. Leuini Crucij Curionis Boſcepani, cui titulus, *Eruditorum Exorciſtæ*; qui vir certè nec indoctus, nec exiguâ huiuſmodi rerum experientiâ præditus, plurima congeſſit remedia contra maleficia, quorum pleraque etſi ſuperſtitionis apertè nequeant reuinci, vtile tamen eſt propter abuſum iis non vti. Quare & hortor & oro cunctos ad quos liber ille quod ſciam nondum editus peruenerit (ſcio verò non ſatis cautè nonnullos ibi traditis vti aliquando) ne temerè vllo remedio inde excerpto vtantur, niſi priùs ſollicitè cum pio, erudito ac prudente Theologo rem contulerint, & is ſecurè vti ipſos poſſe declararit.

LOTHARIVS Sacriſta & Monachus Elnonenſis ad S. Amandum: mortuo S. Amando, varia in eius laudem Carmina ſcripſit, quæ ibidem mſc. leguntur.

LVDOVICVS BERQVINVS, Vir nobilis & eruditus, at in Lutheraniſmum lapſus, eamque ob cauſam è ditionibus Cæſaris Caroli proſcriptus, ac bonis fiſco addictis, fugit in Galliam, & Lutetię Pariſiorum comprehenſus, in erroribus ſuis pertinax combuſtus eſt. Quædam ſcripſiſſe fertur, ait Conradus Geſnerus in Bibliotheca, & inter Flandriæ Scriptores à Dionyſio Harduino numeratur. Supplicium illi anno 1529. illatum.

LVDOVICVS DE HVVETTERE, Presbyter & Canonicus in Æde Cathedrali S. Martini Ipris. Edidit quædam ſed vernaculo idiomate, ad Chriſtianam inprimis pietatem promouendam vtilia.

LVDOVICVS DE MAZVRES Neruius, Poëta Gallicus egregius, vertit in vernaculum opera Virgilij Maronis. Floruit ſub Carolo VIII. Francorum Rege. Ioannes Cogn. Hiſtor. Tornaci, lib. 4. c. 48. ex additione prima ad Trithemium. Exſtat & eius Babylon aliaque Poëmata Baſileæ & Geneuæ excuſa, ſed vetitæ Lectionis, vti & illud, quod de exilio ſuo à Galliarum finibus cecinit, adiectum eidem Æneidi Virgilianæ quæ Pariſiis prodiit.

LVDOVICVS DV GARDIN, Medicinæ Doctor, & in Academia Duacena Regius Profeſſor. Edidit anno Domini 16... cùm eadem ciuitas contagio laboraret. Varias quoque ac eruditas in medica præſertim facultate dixit, in ſcholis ac quodlibeticis quæſtionibus, quæ Academiæ Saturnalia ſunt.

LVDOVICVS FIDELIS Neruius, Doctor Theologus Pariſienſis, & Canonicus Tornacenſis. Scripſit librum de ſtructura mundi, Pariſiis excuſum per Gulielmum Morellum anno 1556. doctè, diſertè & eleganter, ait Valerius, De humana item reſtauratione ſeu incarnatione Domini, Antuerpiæ apud Nutium 1569. De militia ſpirituali libros quatuor, qui aduerſus mundi huius Tyrannidem & carnis pruritum arma ſuppeditant. Obiit Tornaci Neruiorum, in Noſocomio, cui præfuit Flamen, conditus.

LVDOVICVS MAKEBLIDIVS, Poperinganus, Societatis IESV Sacerdos, in opuſculis piis conſcribendis præcipuè ſe exercuit. quæ nomine eius circumferuntur hæc ſunt: Conſolatorium ægrorum, Theſaurus precum, Decem exercitationes ſacrarum Orationum, Octo item aliæ exercitationes eiuſdem argumenti, Theſaurus doctrinæ Chriſtianæ ſeu

Catechiſmus Mechlinienſis, Mons ſpiritualium delitiarum ad Senatum Populumque Poperinganum. Omnia hæc vernaculo idiomate prodierunt.

LVDOVICVS PILEVS Tornacenſis, vir, ſi ex vngue Leonem noſcimus, eruditus fuit. Scripſit Epiſtolam & & Carmen Trochaium in Griſelidem Eligij Eucharij Gandauenſis.

Liber Tertius.

MARIA D'ENTIERES, Tornacenſis, (Harduino teſte) mulier docta: ſcripſit Gallicè Epiſtolam contra Turcas, Iudæos, Infideles, Pſeudochriſtianos, Anabaptiſtas & Lutheranos, impreſſam anno 1539. quo floruit.

MARTINVS BACCIVS Tiletanus, Flander, S. Theologiæ Licentiatus, Paſtor Aloſtanus, pòſt Eccleſiæ Iprenſis Theſauro Præfectus. Edidit populari ſermone laudatas conciones per annum, in queis linguæ decor, & viri varia eruditio relucet, typis Hieronymi Verduſſij, fol. Laborauit quoque in caſtigando tomo primo D. Auguſtini vnà cum Theologis Louanienſibus.

MARTINVS RYTHOVIVS, S. Theologiæ Doctor in naſcente Dilingana apud Sueuos Academia ſacras litteras explanauit: Concilio Trident. anno 1562. & Colloquio Wormatienſi 1557. interfuit. Ex D. Petri Decano, & Vniuerſitatis Louanienſis Cancellario, primus Iprenſium Epiſcopus, Synodo I. Prouinciali, abſente Cardinale Grauellano Mechliniæ 1570. præfuit, & decreta eiuſdem edidit, anno Domi-

Domini 1571. Synodum Diœceſanam Ipris 1577. celebrauit & edidit. Obiit Audomaropoli 1583. peſte extinctus. Terebantur diſcipulorum manibus abſolutiſſimi, in quatuor libros Sententiarum Commentarij, quos ſemel iterumque magno audientium concurſu prælegerat; vtinam aliquando typorum beneficio à pluribus legantur. Manuale Paſtorum, ab eodem editum Pariſiis 1576. & in eo inſtructiones Paſtor. aduerſus Dœmonum infeſtationes & incantationum maleficia.

MATTHÆVS A CASTRO, Inſulenſis, Religioſus Falenpinienſis, & poſteà eiuſdē Cœnobij Abbas, redegit in Compendium Comment. Corn. Ianſenij in Concordiam Euangelicam. Idem reliquit Noctes hyemales & æſtiuales. Commentarium in Pſalmos, aliaque mſc. in dicto Cœnobio. Obiit anno 1597.

MATTHAEVS GALENVS, Weſtcapellius, Zelandus, è Theologo Louanienſi triennium Dilingæ apud Sueuos, decennium Duaci apud Catuacos, (vbi & ſupremū Theologititulum 1564. accepit) primam Theologiæ cathedram tenuit. Obiit Duaci 1573. D. Amati Præpoſitus, & Academię Cancellarius. In funere eius dixit Thomas Stapletonus. Scripſit Commentarium de Chriſtiano & Catholico Sacerdote Dilingæ, 1563. Typis Sebaldi Mayeri. Commentarium de originibus monaſticis, ſeu de prima Chriſtianæ monaſtices origine, ibidem. De SS. Miſſæ Sacrificio, Antuerpiæ apud Stelſium 1574. De ſæculi noſtri Choreis, Duaci apud Ludou. de Winde. De votis monaſticis, & Orationes funebres tres, è quibus vnam Louanij in obitum R. Tapperi habuit. Opus Catechiſticum ab Andrea Croquetio diſcipulo editum, opus ſanè è ſanctis Patribus elaboratum, Duaci anno

anno 1574. Eruit etiam è tenebris Alcuini Rhetoricam ad Carolum Magnum, Duaci apud Carolum Boſcardum. Hilduinum Abbatem de vita Dionyſij Areopagitæ, Coloniæ 1563. 8. typis Cholini. additæ Homiliæ duæ, prima de periculis, in quibus verſantur Clerus & Senatus, ſecunda de hæreſibus.

MATTHAEVS KELLISONVS natione Anglus, patriâ Northamptonienſis. Hic ex Anglia Catholicæ Religionis cauſâ fugit in Galliam ad Anglorum Rhemenſe Collegium. Inde Romam miſſus, vbi notitiam cum illo habui. Studia tum Philoſophica, tum Theologica in Anglorum Collegio abſoluit. Quibus finitis, & Sacerdotio ſuſcepto, in Galliam denuò rediit, & partim Rhemis (vbi Doctor creatus eſt,) partim Duaci in Anglorum Collegiis Theologiam ſcholaſticam per multos annos docuit. Tandem Rhemos iterùm reuerſus ipſius Academiæ Theologicam Cathedram aſcendit Profeſſor Regius, nec multo pòſt tempore Rector Vniuerſitatis electus eſt. Scripſit Anglicè ad Regem Angliæ Iacobum Primum, De noua Anglorum Religione, libros octo. Extant Duaci anno 1605. Habeo, & ex parte legi. Reſponſionem ad replicam Sutclefi, libros octo. Extant Rhemis anno 1608. habeo in mea Bibliotheca. Compoſuit etiam Orationem quam coram Rege Galliæ Henrico IV. habuit. Alia ſcribens viuit adhuc Rhemis hoc anno 1611. regnante in Anglia Iacobo Primo. Hactenus Ioannes Pithæus. Nunc Duaci agit, ibidem Seminarij Anglorum Præſes. Præceſſerunt eum in eodem Seminario S. Theol. Profeſſores Antonius Champuæus, Eduardus Weſtonus, Henricus Maillardus, Matthæus Britonus: viri omnes eruditione ac virtute præſtantes.

MATTHAEVS PILARDVS, Warneſtunenſis, Abbas Clarevallis, S. Theolog. Doctor ac Profeſſor, Monachus anteà Dunenſis Monaſterij: Floruit eruditione ac doctrinâ circa annum Domini 1280. cuius honorificam mentionem faciunt Chronica Dunenſia.

MATTHAEVS SCORNAIVS, Ordinis Præmonſtratenſis Abbas apud Niniuen Flandriæ oppidum. Conſcripſerat Commentarios in Pſalmos Dauidis, in Eſaiæ Prophetiam, & Sermones varios, qui apud Niniuenſes mſc. exſtare ſolent, ſed turbatis temporibus perierunt. Ita Valerius ex Ioanne Bunderio.

MATTHAEVS PRESBYTER, vir pius, cultorque præcipuus Chriſtianæ vineæ, Doctor ac Prædicator verbi Dei, idem Rector erat domus hoſpitalis D. Ioannis Baptiſtæ iuxta templum B. Mariæ, quam ſuo tempore multum promouit, & maiori ornatu ædificandam curauit. Sepultus erat in Cœmeterio B. Mariæ, marmoreo monumento, ſed poſt annos 133. inde tranſlatus in domum hoſpitalem, iacet iuxta Summum Altare per fratrem Ægidium de Buro. Vide Meyerum l. 8. ad 1237. annum.

MATTHIAS BECQVETIVS Furnenſis, teſte Dionyſio Harduino, Poeta non inelegans, ſpecimen venæ ſuæ dedit editis nonnullis epigrammatis, quorum vnum vidit idem Harduinus in laudem conſcriptum libri Ioannis Boudinij, Furnenſis, de quo ſuprà.

MATTHIAS BOSSEMIVS, Amſtelodami piis natus parentibus 1527. Corn. Crocum primæ ætatis morumque formatorem nactus, ac politioribus litteris probè inſtructus, Loua-

Louanium miſſus eſt: vbi in Standonico Gymnaſio Philoſpohiæ ſtadium emenſus, ſacris ſtudiis animum mox applicuit. Licentiæ, vt vocant, Laureâ donatus, in Heuerlenſi Cœleſtinorum Cœnobio, annos aliquot ſacras litteras explanauit. Duacum euocatus ob eximiam eius in ſacris litteris cognitionem, Doctorque Theologus cum Ioanne Rubo, Gulielmo Alano Britanno, & Thoma Stapletone renuntiatus, annos 33. cathedram cum laude tenuit. à morte Galeni Weſteapellij ad D. Amatum Præpoſitus, Academiæ Cancellarius, & Theologiæ Profeſſor primarius eſt conſtitutus. Vir tantę humilitatis, vt famulorum operâ in corporis cura, etiam poſtremis vitæ annis, vix vteretur, vt cubiculum ipſe ſuum ſcopis mundaret, lectum ſterneret, lances & ſcutellas feriâ ſextâ lauaret, & id genus alia humilitatis officia obiret. Tam ſeuerus in Clerum cenſor tantæque caſtitatis, vt extraneam in ædibus fœminam verſari paſſus non ſit, nec vnquam ſolus cum ſola niſi in publico fuerit locutus: quotidiè ad B. Virginem Dei Genitricem ter hanc emittens oratiunculam: Virgo ſingularis, inter omnes mitis, nos culpis ſolutos, mites fac & caſtos. Tantæ pietatis vt de rebus diuinis diſſerenti, & in tremendo Miſſæ Sacrificio lachrymæ ſubindè excuterentur. Mortis memor, amici demortui cranium in muſæo ponebat, & viginti ferè ante obitum annos, loculum ſibi, in quo ſepeliretur, fieri curauerat. Obiit verò ſacro ſumpto Viatico, Ieſum & Mariam identidem ingeminans, anno partæ ſalutis 1599. ætatis 72. prid. Nonas Februar. in Choro ſuo conditus, legatis teſtamento facultatibus omnibus Collegio ſub tutela D. Virginis inſtituendo. Scripſit de Clericorum cum fœminis cohabitatione, Licitáne ea ſiue ſit, ſiue non, De ſtupidiſſimæ & veræ Idololatriæ, quæ quondam apud Ethnicos fuit, hypocraſtica interpretatione contra Ioannem Caluinum, De

ſpecial Dei auxilio. Orationem parænetícam ad Nouitios S. Theol. Studioſos. Omnia Duaci excuſa 1586. apud Ioannem Bogardum.

MATTHIAS LOBELIUS, Inſulanus, Medicus. Scripſit Plantarum & ſtirpium hiſtoriam, vnà cum Carolo Cluſio, Atrebate, Antuerp. 1576. fol. apud Plantin. Adhærent noua ſtirpium aduerſaria, eodem auctore.

MATTHIAS CASTELLANUS, Aldenardenſis, (vt ait Harduinus in Catalogo ſcriptorũ) vernaculo ſermone Poeta fuit inſignis, primuſque inter ſuos, qui Flandricam Poeſin ad normam & menſuras reduxit, Libro titulum fecit: *De Conſte van Rhetorycke*.

MICHAEL CANDELAEUS Inſulenſis, Sacræ Theologiæ Baccalaureus, vti teſtatur Harduinus, docta ſcripſit Carmina, exſtat vnum in Enchiridio fratris Petri Bacherij, Theologi & Poetæ ex ordine Prædicatorum Gandauenſis.

MICHAEL FRANCISCI, Inſulanus, Ordinis S. Dominici, Doctor Theologus Colonienſis, & Philippo Primo Auſtriaco à Confeſſionibus, vir pietate inſignis, ac doctrinâ præſtans. Scripſit Tractatum, De ſeptem doloribus Deiparæ Virginis, Antuerpiæ apud Theodorum Aloſenſem, ibidemque excuſa, Confraternitas dolorum B. Mariæ, à Philippo Auſtriaco, Burgundiæ, Brabantiæque Duce erecta, Quodlibetum eiuſdem, de veritate Confraternitatis Roſarij B. Mariæ Virginis, Coloniæ 1476. Obiit Inſulis 1502. deſignatus Epiſcopus Salubrienſis.

MICHAEL

MICHAEL INSVLENSIS, Dominicanus. Scripſit Poſtillam ſuper Cantica Canticorum, vt aſſerit Gulielmus Gazæus in Bibliotheca ſua Belgij ſacta, item in Danielem Prophetam, & alia quædam. Ego eundem exiſtimo cum Michaele Franciſci antè memorato.

MICHAEL D'ESNE, vir nobilis, ac Toparchus de Betencourt, Eccleſiæ Tornacenſis Epiſc. Plura, inquit Gazæus, ex Hiſpanico & Latino in Gallicum Sermonē vertit, videlicet vitas S. Ignatij Fundatoris, & aliorum Generalium Societatis IESV, item S. Liduinæ & S. Franciſcæ, &c. cum pluribus aliis libris aſceticis.

MELCHIOR NEIPEIVS, Bredenanus Flander, ac Leopardi diſcipulus, vt ipſe innuit Adagio 49. Collegit Adagia aliquot poſt Eraſmum, Iunium, & alios, Pariſiis 1571. fol. cum Eraſmi Chiliadibus, & Antuerpiæ cum iis, quæ Victor Giſelinus collegit.

MILO Monachus Elnonenſis. Scripſit Verſibus Latinis ad Carolum Caluum de ſobrietate, & vitam S. Amandi. Reliquit & librum Epiſtolarum, vixit 870. Auunculus & Magiſter Hucbaldi Elnonenſis fuit, teſte Valerio, Vir eruditiſſimus & ſcientiâ litterarum clarus. Scripſit prætereà de S. Cruce Carmen Hexametron duplex in morem Sphæræ ingenioſiſſimè compoſitum, De conflictu veris & hyemis, Carmen item Hexametron. omnia mſc. Elnone ad ſanctum Amandum. Obiit anno Domini 871. in Cœnobio ſuo conditus, hoc Epitaphio:

Milo Poëta Sophus cubat hoc ſub marmore clauſus,
Carmine dulciloquus, qui librum ſobrietatis

Edidit & ſanctum pulchrè depinxit Amandum,
Floribus exornans metro proſaque venuſtans,
Tanti Pontificis palmam capit atque coronam.

Nicolavs Baselivs, Medicus Reip. Winocibergenſis, dedit Gallicè deſcriptionem Cometæ, qui apparuit anno 1577. 14. Nouembris, editam Antuerp. 1578. 4. vnà cum prognoſticis anni 1578.

Nicolavs Boldivs, Ordinis S. Franciſci Regularis obſeruantiæ, Guardianus Dixmudanus. Scripſit Apologiam contra Epiſtolam Americi cuiuſdam, quæ de apparitionibus & reditu ſpirituum agit.

Nicolavs Brentivs, Duacenus I. C. Poëta & Philologus. Scripſit de vtilitate & harmonia artium, de ratione adipiſcendæ virtutis & parandarum litterarum cum adiunctis Carminibus, de methodo ſtudendi iuri, de bello in Turcas ſuſcipiendo ad Carolum Imp. item alia Poematia tria, quorum poſtremum, De laudibus Hannoniæ, Antuerp. typis Antonij Goini 1541.

Nicolavs de Formanoir, Dominus in Merlino Neruiorum, & Presbyter, Pſalmorũ inſtar Catholicæ fidei Confeſſionem, ſiue Catechiſmi Romani Compendiũm contexuit, Belgij Principibus dicatum. Antuerp. 1605. 8. apud Keerbergium.

Nicolavs Grvchivs, vti aſſerit Harduinus, ſcholiis quàm eruditiſſimis ornauit libros decem Metaphyſicorum Ariſtotelis impreſſos Pariſiis, anno 1578.

Nico-

Nicolavs Iaqverivs, Ordinis S. Dominici Inſulis. Vixit anno Domini 1442. & ſcripſit contra Waldenſes. Præterea in Concilio Conſtantienſi diſputationem publice habuit contra Ioannem Hus ſub nominibus N. & I.

Nicolavs Rebbivs S. Theologiæ Doctor, Protonotarius Apoſtolicus, & Canonicus ad D. Petrum Inſulis. Edidit, Inſulis habitas, Orationes Panegyricas binas, primam de Annuntiatione, alteram de Conceptione Virginis Deiparæ, De homicidio libros duos, De dignitatibus & officiis Eccleſiaſticis.

Nicolavs Tornacensis Theologus. Scripſit, teſte Gazæo, in ſua Bibliotheca, Lectiones ſuper Euangelium S. Lucæ.

Nicolavs Trigavltivs, Societatis Iesv, natione Belga, patriâ Duacenſis. Cùm Oratoriam Gandaui docuiſſet, addiſceretque linguas peregrinas, & Coſmographiam calleret, profectionem in Orientis Solis Indiam à Præpoſito generali Societatis tandem obtinuit. Eò itaque Profectus, Chinenſibus non ſine animarum egregio fructu Chriſtum annuntiauit, inde (quod mirandum eſt) pedeſtri itinere in Germaniam & Belgium reuerſus. Scripſit hiſtoriam de expeditione Chriſtiana apud Sinas ſuſcepta, De legibus, ſtatutis, & nouæ Eccleſiæ primordiis ex Matthæi Riccij Commentariis Auguſtæ Vindelicorum, anno 1615. in folio. Scripſit Latinè etiam vitam Gaſparis Barcæi Belgę comitis B. Franciſci Xauerij libris tribus è Luſitanica lingua ſchediſque conuerſam. Varias item Goa dedit Epiſtolas Latinè in Europam ad P. Franciſcum Florentinum Belgij tum Prouincialem Prępoſitum, De rebus à ſociis in India geſtis

geſtis pro fidei & regni Dei incremento, aduerſus Idololatras, & à Luſitanis contra Batauos piratas, Hæreticos pro regno Luſitaniæ.

NICASIVS ELLEBODIVS, Caſſetanus, Flander, Philoſophus & Medicus Patauinus, Græcarum litterarum peritiſſimus, primus eruit & Latinè conuertit Nemeſium Epiſcopum & Philoſophum, De natura hominis, typis Plantinianis 1595. Vixit familiaris Antonio Cardinali Granuellano, Vincentio Pinello, Paulo Manutio, & aliis. Obiit Poſonij in Hungaria ibidem Canonicus, quæ vrbs Pannoniæ, hodiè Preitzborch vocatur.

OLIVERIVS IMMFLOTIVS, Iperius, vir doctus, Harduino teſte, Scripſit Epiſtolas quaſdam Latinas, quarum quædam extant inter Poëmata Iacobi Sluperij Herzelenſis Flandri.

OLIVERIVS MANARDVS, Poëta & Orator Gallicus. multa vernaculo ſermone ſcripſit Poëmata, ac inter cætera Oden impreſſam ad Calcem libri Roberti du Triez, De malignis ſpiritibus, cuius infrà mentionem faciemus.

PASCHASIVS BALDVINVS Falempinenſis in Agro Inſulenſi, Ordinis S. Auguſtini Canonicus, dedit Epiſtolam de Hebraicis gemmarum nominibus ac viribus.

PASCHASIVS D'ORANGIVS, Ordinis S. Franciſci Regularis obſeruantiæ Conuentus Inſulani, in linguam Gallicam vertit Pratum ſpirituale Patriarchæ Sophronij, impreſſum Louanij anno Domini 1599.

Paschasivs Ivstvs, Eeclonianus, artium & Medicinæ Doctor. Scripſit de Alea ſeu de curanda ludendi in pecuniam cupiditate libros duos eleganti ſtilo. Priore libro medicâ planâque methodo omnis grauiſſimæ & ignotæ vſque ad hoc tēpus affectionis natura, cauſſæ & effectus tanquam immanis & ſęui alicuius morbi explicantur; Altero qua potiſſimùm curatione adhibitâ, inſatiabilis flagitioſaque cupiditas euelli ex grauiter ęgrotantium animis poſſit, explanatur, tum ſi contumax erit, quâ ratione edomari ac comprimi queat edocetur. Auctor dedicauit librum Perilluſtri & Ampliſſimo viro Maxæmiliano à Burgundia Wacqueni & Capellæ Domino, Belgici maris & Claſſis Præfecto. liber impreſſus eſt Baſileæ & Antuerpiæ.

Paschasivs Zovtervs Cynopagita (fortè Hondiſcotanus,) Ludimagiſter Iprenſis fuit, ediditque Antuerpiæ anno 1524. Miſcellanea Grammatices, vt Valerius teſtatur in Bibliotheca.

Pavlvs Dvmontivs, Duacenas, à ſecretis patriæ ſuæ, fœliciſſimus aliarum linguarū in Gallicam interpres, è Latino reddidit Confeſſiones D. Auguſtini, Thomam à Kempis de Imitatione Chriſti, Dionyſij Carthuſiani ſententias benè viuendi, & alia eiuſdem, item Lud. Granatenſis, Antonij Gueuarræ, Marci Maruli, Dorothei ſermones è Græco, &c. ex Latino, Italico, Hiſpanico. Scripſit verò Gallicè Commentarios in Orationem Dominicam, è variis auctoribus. Item Hiſpanicè & Gallicè bellum Chriſtianum. Omnia Duaci typis edita. Vitâ defungitur Duaci 1602. 4. Kal. Nouembreis, annos natus 72.

Pavlvs Leopardvs, (quem Iſemberga orbi dedit Ter-

ritorij Furnenſis pagus) Iuuenis Louanij Nicolao Clenardo & Rutgero Reſcio præceptoribus vſus, quantum profecerit, facilè oſtendunt Miſcellaneorum & emendationum libri 20. omnifariæ doctrinæ, lectionis variæ, & acerrimi judicij teſtes, è quibus decem priores Antuerp. editi, typis Plant. 1568. reliqui Francofurti 1604. 8. Tom. 3. Lampadis Criticæ, Latio etiam donauit vitas, & Chrias Ariſtippi, Diogenis, Demonactis, Stratonis, Demoſthenis & Aſpaſiæ, Antuerp. 1556. 8. Belleri typis. Ludum litterarium aperuit Hondiſcotæ primùm, vbi bonam vitæ partem conſumpſit, reliquum vitæ egit Bergis S. Winoci ac finiit. Lutetiam Pariſiorum ad profeſſionem regiam euocatus, quò minùs iret, per vxorem ſtetit, neceſſarium malum, inquit ille, præſertim virorum doctrinâ illuſtrium. Obiit vir pius ac Catholicus 1567. Bergis S. Winoci. mortuo oculos clauſit Ioannes Macarius. Vixit Leopardus familiaris Gul. Pantino, Nanſio, Langio, Pet. Nannio, apud quem Leopardo nemo de eruditione maior, nemo de humanitate candidior fuit habitus.

PETRVS A RIVO Aloſtenſis, Flander, primùm Rhetor Louanienſis, dein S. Th. Doctor, Profeſſor, & Paſtor D. Petri in eadem Vniuerſitate: edidit ibidem de anno, die ac feria Dominicæ Paſſionis & Reſurrectionis lib. 3. fol. 1492. typis Ioannis de Weſtphalia, quibus modeſtè reſpondet Apologię Pauli Middelburgi, quam ad Louanienſem Vniuerſitatem miſerat. Dedit idem Elegiam ſiue Dialogum, quomodo omnia in meliorem partem ſint interpretanda, interlocutoribus homine & ratione, Leydæ apud Ioannem Seuerinum 1509. Reliquit prætereà Orationem 1477. habitam in aduentu Cæſaris Maxæmiliani, & alia quædam.

PETRVS

Petrvs Bertivs, Beueris Flandriæ Occiduæ pago natus, anno 1565. die 14. Nouembris, educatus altuſque Lugduni apud Batauos, vbi & quædam ſcripſit doctrinæ non ſanæ, quæ ipſe poſteà damnauit & deteſtatus eſt. Vir aliàs variarum ſcientiarum cognitione excellens, & in Geographicis diſciplinis accuratè diligēs. Edidit Loquę Peripateticæ libros ſex, Lugd. Bat. in 8. Tabularum Geographicarum contractarum libros ſeptem, Amſtelodami fol. 1616. Cōmentariorum rerum Germanicarum libros tres, videlicet de Germania priſca & noua, deque præcipuis vrbibus ibidem. Item Ptolomæi Geographiam Græcè & Latinè euulgauit cum tabulis anno 1620. Relictâ Batauorum hæreſi Caluinianâ Lutetiam commigrauit, Regiuſque Coſmographus docet vtramque linguam in Becodiano Gymnaſio, editâ ibidem oratione, quâ mutatæ Religionis cauſſas reddidit.

Petrvs Castellanvs, Gerardimontanus, primis annis operam litteris Gandaui dedit, Philoſophiæ Duaci, Linguæ Græcæ diſcendæ docendæque Aureliis apud Gallos. Belgio redditus Louanij in Trilingui Collegio anno 1609. prouinciam eandem obire cœpit: ac mox medici titulo auctus, Doctoris inde 1618. 23. Octobris accepit inſignia. Vir melioris litteraturæ ac reconditioris eruditionis laude inſignis: quo fit vt quæ in medicina publicè ſolet tradere, ſolida in primis ſint, quæque priuatim ſcriptis mandat lectionem variam teſtentur. Cuiuſmodi ſunt ludus ſiue Conuiuium Saturnale 1616. Louanij Ἑορτολόγιον, ſiue de Græcorum feſtis Syntagma. Vitæ Illuſtrium Medicorum veterum ac recentiorum, Laudatio funebris Alberti Belgarum Principis. Sequentur Monologium ſiue de legibus Atticis, Κρεωφαγία, ſiue de eſu carnium aliaque, dum viuit, valetque.

PETRVS COLPINIVS patriâ Duacenſis, S. Th. Doctor, & Catechiſta Regius, libellum edidit, cui titulus, Liturgica inſtitutio, complectens Sacroſanctę Miſſæ naturam, partes cooperandi, formam & preces ſacrificiales, adiunctis precatiunculis, quibus in diuino cultu exerceri debeant ſtudioſi adoleſcentes. Excudit Duaci Iacobus Boſcardus 1577.

PETRVS CORETVS Athenſis Hannonius, S. Th. Licentiatus, verùm Canonicus & Paſtor ad D. Virginis Tornaci Neruiorum. Scripſit defenſionem Veritatis, aduerſus aſſertiones Catholicæ Fidei repugnantes libro D. de la Noue ſiue Franciſci Nouæi, De politicis & militaribus rebus adſperſas, Antuerpiæ apud Moretum 1591. 8. Tumulum amico poſuit Henricus Doultremannus Valencenarium apud Hannones Præfectus. legitur apud Miræum in Elogiis.

PETRVS CVRIVS, Bergis ad S. Winocum Gymnaſiarcha: edidit Grammaticam Græcam & Latinam Antuerpiæ 1530. Dictionarium Græcè, Latinè, & Teutonicè ad inſtar pappæ puerorum Ioannis Murmellij, ibidem typis Ioannis Loæi.

PETRVS COVCKIVS, Aloſtanus, Pictor celebris, Bernardi Bruxellenſis diſcipulus: luſtrauit Italiam, etiam Conſtantinopoli, teſte Vermanderio, fuit, conatus Turcico Cæſari per elegantiam ſuæ artis placere. Fuit illi diſcipulus Petrus Bruegelius. Edidit & libros de Architectura & Geometria, Sebaſtiani Serlij libros Italicos in Teutonicam vertit. Floruit 1549. Cæſaris Caroli Pictor.

PETRVS DACQVETVS, Medicus Furnenſis, elegantis optimęque Medicinę, & Gręcè doctiſſimus. Scripſit Commenta-

mentaria in Cornelium Celſum. Eius etiam quędam extant Carmina in Commendationem Pantini Medici Brugenſis, qui etiam annotationibus Cornelium Celſum illuſtrarat.

PETRVS DATHENVS Excucullatus, vt Harduinus ait, Carmelita & Hęreticus Caluinianus, quoſdam ſcripſit libros, quibus hi tituli ad Criminationes & maledicta, ſecundùm peruerſam Nouatoris Datheni mentem: Latomi reſponſiones duę, Reſponſio eiuſdem ad quęſtiones miniſtrorum Francofurtenſis Eccleſię, de Confeſſione Dreſdenſi ab illis edita. Idem Pſalmos Dauidicos & alios hymnos, ex Gallica Clementis Maroti & Theodori Bezę tranſlatione vertit in Flandrorum vernaculam linguam, cui vinctus eſt peſtilentis doctrinę Catechiſmus ſępiùs & multis locis (mala enim herba citò ac facilè creſcit) impreſſus. Diſputauit Franckendalię contra Anabaptiſtas, fuitque Architectus libri ea de re ſcripti, cui titulus, Protocollum.

PETRVS DVBOYS, Flander, Societatis IESV Sacerdos. Edidit Theſes varias de Deo, & de Sacramentis, de pœnitentia, editas Moguntię, vbi obiit. 1592.

PETRVS DE GAMENCHINES, vulgò à natali regione Flamingus appellatus, decimus Abbas Monaſterij Ogniacenſis vulgò Ognies, quod ſitum eſt inter Mingellam & Namurcum ęquo ferè ſpatio. Ad monaſterium acceſſit inops ac ferè mendicus, ſed cùm Ioanni Foſſenſi illius loci Antiſtiti bonam animam ſortitus videretur, amictu eſt indutus monaſtico, & poſt ipſius mortem ſucceſſit, eiuſque vitam Heroicis etiam Verſibus deſcripſit, vti auctor eſt Franciſcus Moſochus in ſua Cœnobiarcha Ogniacenſi.

PETRVS HALLOSIVS ſiue HALLOIX, è Societate IESV. Edidit Duaci 1615.8. Tranſlationem SS. Terentiani & Socij martyrum, Atrebato Duacum in Societatis IESV Templum. Anthologiam item poeticam Græco-Latinam Synonymis Poeticis atq; auctoribus inſtruxit, typis Nutij 1617. in 8. Antuerpiæ.

PETRVS HASSARDVS Inſulenſis, Medicus & Mathematicus, curationem dedit morbi Gallici, Louanij anno 1554. Clypeum Aſtrologicum contra Flagellum Aſtrologorum Franciſci Rapardi ibidem editum, De Cometa anni 1556. Commentarium in præcepta valetudinis tuendæ, Robani Heſſi Francof. 1568.8.

PETRVS INSVLENSIS, Minorita, vulgò Doctor notabilis appellatus, vt ait Gazæus in Bibliotheca. Scripſit ſuper quatuor libros Magiſtri Sententiarum. Alius Petrus Inſulenſis ſcripſit Verſibus Gallicis, Vitas S. Bartholomæi Apoſtoli, S. Sulpitij Epiſcopi, & ſeptem fratrum Martyrum. Item libros tres de Terra Sancta.

PETRVS LANSELIVS, Grauelinganus, è Societate IESV, Græcè in primis doctus, teſte Valerio Andrea, reddidit Latinè Pachymenum in Dionyſium Areopagitam.

PETRVS LEGNEVS, Grauelinganus I. C. Scripſit Annotationes in libros 1. & 2. & in primam partem tertij Inſtitutionum Iuris, quas Louanij ſemel iterumque docuit, Antuerpiæ 1556. Concinnauit quoq; è quatuor libris Æneidos Virgilianæ, Didonem Tragœdiam, & Annotationes in eoſdem ibidem 1559. 8. apud Ioannem Withagium.

PETRVS

Petrvs Mattardvs, Paſtor S. Nicolai Furnenſis, Patriâ quoque Furnenſis. Carmina quædam edidit, quibus libros ab aliis editos laudat. memoratur à Iacobo Marchantio in deſcriptione Flandriæ.

Petrvs Megangvs, Niniuita, Flander, ludum aperuit litterarium in Patria, ſcripſitque Carmine tabulas Grammatices Pariſiis 1549. apud Wechelium.

Petrvs Ovdegeerstvs, I.C. Inſulenſis, at Poperingâ oriundus: inſigni in patriam pietate & laudabili diligentiâ poſt Annalium Meyerum Flandriæ conditorem, primus conſcripſit Flandriæ Annales Idiomate Gallico nece Caroli Audacis ad Nanceium terminatos. Editi ſunt in 4. apud Plantinum.

Petrvs Pantinvs, Tiletanus, Græcâ Latinâque linguâ & oratione ſolutâ ac ligatâ doctiſſimus: auditor & comes fuit peregrinationis Andreæ Scotti in Hiſpania, qui etiam Græcas Toleti litteras profitenti, in Cathedra ſucceſſit. Hinc à Philippo Secundo Hiſpaniarum Monarcha, Decani dignitate ad S. Gudilam Bruxellis cohoneſtatus in Belgium cum Sereniſſimo Belgarum Principe Alberto rediit eidem à ſacris. Scripſit de dignitatibus ac officiis Regni ac Domus regiæ Gothorum. exſtat in tomis Conciliorum editis à Garſia Loyaſa, cui à Bibliotheca & ſtudiis Pantinus erat. Verſus varios in D. Leocadiæ & D. Eugenij è Belgio in Hiſpaniam tranſlationem, typis Plantini 1587. Homilias quatuor SS. Patrum Methodij, Athanaſij, Amphilochij, & Chryſoſtomi, Latinas è Græco fecit. Item Baſilium Epiſcopum Seleucienſem de vita & martyrio B. Theclæ cum notis: denique à morte Pantini editæ Lugduni Batauorum The-

Themiſtij Euphradæ, Orationes aliquot, & Michaëlis Apoſtolij Parœmiæ cum verſione Patini & notis. Obiit Bruxellæ 1611. ætatis 56.

Petrvs Papævs, Flander, ludum litterarium aperuit Menenij, tertio ab Inſulis, & ſecundo à Cortraco lapide. Scripſit Samariten Comœdiam, ex parabola Euangelica Samaritani incidentis in latrones: quam dignam iudicauit Commentario ſuo Mexius Vanegas Toletanus, multæ vir lectionis, Toleti 1542. 4. Elegiarum lib. 2. priore mendicabulum publicum tuetur: altero tollendum docet. Illis enim temporibus Iprenſis Magiſtratus, alendorum Ciuium egenorum valdè ſtudioſus, omne in publico mendicabulum, prætenquam quatuor, vt vocant, Ordinum mendicantium eliminabat: quod ſtatutum à Concionatoribus Mendicantibus repræhenſum, demum anno 1530. per Theologos Pariſienſes approbatum fuit, teſte in Flandria Marchantio.

Petrvs Pintaflovr, Caſſetanus, Flander, ob virtutem ac eruditionem maximam, primùm Decanus, inde Tornacenſis Eccleſiæ fuit Epiſcopus 1575.

Petrvs Pomeranvs, Caſſetanus, Flander, Philologus in Italia vixit, & ſcripſit de ratione inſtituendi pueros, & de ſtudiis ſapientiæ, Mediolani 1542.

Petrvs Ponetvs Carmelita, Iprenſis, libellum euulgauit 1565. Antuerpię apud Bellerum, quem inſcripſit Propugnaculū Chriſtiani dogmatis, ſiue de veritate Corporis & Sanguinis in SS. Euchariſtię Sacramēto, realiq; eius pręſentia, aduerſus Caluinū, & cęteras huius ęui perditionis ſectas.

Petrvs

PETRVS DE ROTA, cœcus & claudus ab origine, ſed ingenio corporis vitia compenſauit inter doctiſſimos olim Louanienſis Academiæ celebratus. Obiit Teneramundæ in hoſpitali D. Blaſij 1522. Ita Lindanus in ſuis de Teneramunda Commentariis.

PETRVS SANTOVIRIVS Waloncapellius Cœnobita Benedictinus Bergis S. Winoci, nobilitate ſtemmatis & eruditione inſignis. Scripſit libros ſex monaſticarum partim inſtitutionum, partim illuſtrationum. Memoratur à Iacobo Marchantio in Flandriæ deſcriptione. Scripſit & tractatum de hoſpitalitate, & de caſibus reſeruatis. Eſt & Bergis S. Winoci Catalogus Abbatum Winocibergenſium, additis rerum geſtarum Annalibus.

PETRVS SIMONIS Tiletanus, & ſucundus Iprenſis Eccleſiæ Epiſcopus creatur 1585. primùm Paſtor Eccleſiæ S. Martini Cortraci, & dein Gandauenſis Archidiaconus fuit. Obiit 1606. Scripta eius varia & erudita collegit & recenſuit Ioannes Dauid Societatis IESV Theologus, ediditque Moretus in fol. quæ ſequuntur, De Veritate libri ſex, Veritatis Catholicæ apologia contra Caluinum, De Epiphania Domini tractatus, De puero IESV cum Doctoribus in templo diſputante diſſertatio, De IESV Chriſti cum Moyſe & Elia Colloquio, tractatus, Orationes item & exhortationes variæ. Vide Valerium fuſiùs agentem in Bibliotheca.

PETRVS SYLVIVS Societatis IESV Sacerdos, natione Belga, natus in Hautem ſancti Leuini, ad Societatem aggregatus eſt Louanij anno ſalutis 1571. 26. Ianuarij. Obiit Moguntiæ anno 1592. 10. Iulij, vt notat Ribadeneira.

Scripſit Diſputationes de Deo, ac de Sacramento Pœnitentiæ.

PETRVS SYLVIVS Aloſtanus, Brugis primùm Latinæ ſcholæ magiſter circa annum Domini 1550. deinde Furnis. Scripſit in vſum Walburgiæ iuuentutis prima Grammaticę inſtitutionis rudimenta, item eiuſdem inſtitutionis partem primam, quam Clariſſimo viro Cornelio Baeſdorpio Caroli Quinti Cæſaris medico dedicauit, ſicut & Syntaxin Grammaticæ inſtitutionis & ſichologiam ſiue artem verſificatoriam.

PETRVS TECTORINVS Poëta, multorum Verſuum atque Epitaphiorum ſcriptor, auctor eſt quoque illius Epitaphij Iwani Comitis Aloſtani, quod in Abbatia Trunchinienſi ante Iconoclaſtram legebatur. Retulit illud Meyerus in Annales ſuos ad annum 1144.

PETRVS THEOBALDVS, Chriſti Sacerdos Balliolanus Poëta, verſus quoſdam ſcripſit, ſicut & Henricus Theobaldus cæcus Balliolanus Rhetor, huius neſcio an frater.

PETRVS THEODORICI Comitis Flandriæ filius, Epiſcopus fuit deſignatus Eccleſiæ Cameracenſis anno 1167. ſed ſuffraganeo aliquot annis vſus, Epiſcopatu ſe abdicauit anno 1170.

PETRVS VANDECLÆVS Duacenus, primùm Gandaui, pòſt Ariæ Scholæ Præfectus, edidit Gandaui Manilij typis Tabulas coniugationum & declinationum Linguæ Græcæ.

PETRVS

Petrvs Vlerickivs Pictor; quo vix vllum Flandria præſtantiorem tulit. Cortraci natus eſt anno 1539. multa de eo ac præclara, Vermanderius eius diſcipulus, in ſuo iam ſæpiùs memorato volumine, De illuſtribus Belgij Pictoribus.

Petrvs Wastelivs, Aloſtanus, Ord. B. Virginis de monte Carmelo in patria. Scripſit Apologeticum pro Ioannis Ieroſolymitani monachiſmo in Carmelo & pro libro eiuſdem de Inſtitutione primorum Monachorum, &c. Bruxellis 1611. 8. apud Ioannem Mommartium. Polliceturque Promontorium Carmeli, quod eſt de Ordinis Carmelitani antiquitate, &c.

Petrvs Zvtpenivs, Caſſetenſis, Eraſmo Roterodamo amicus. Cuius ad illum aliquot exſtant epiſtolæ. Scripſit & Zutpenius ad Eraſmum quæ extant, Latinas, vti aſſerit, Harduinus, eaſque elegantes epiſtolas. Laudatur & à Iacobo Meyero in Compendio Chronicorum Flandriæ, quod eidem dedicat, deque eodem hos ibi verſiculos pangit:

Nec hos duces tantummodo
Paruumque carmen dedico.
Totum ſed hunc libellulum
Totumque memet nuncupo,
Inſcribo, mando, conſecro,
Gemmæ virorum fulgidæ
Clariſſimo Zutpenio.
Nam ſeu requiram maximam
Iuris ſacri prudentiam,

Seu clara facta principum
Et gentium res omnium
Geſtas ab æuo noſcere.
Hæc cuncta prudentiſſimo
Habes repoſita pectore.

De eodem verò inCarmine lugubri mortis Zutpenij ſic ait:

Occidit heu! noſter Zutpenius, occidit eheu!
Gloria Caſleti præcipuumque Decus.
Hiſtoriæ columen, ciuilis regula iuris,
Normaque iuſtitiæ, Relligionis honos.

PHILIPPVS Abbas S. Amandi iuxta Tornacum. Scripſit vitam S. Amandi Elnonenſis Cœnobij Fundatoris ac Patroni. Vide Gazæum in Bibliotheca.

PHILIPPVS BROIDEVS I. C. Præfectus Duaci & Orchiarum, auxit,notiſque illuſtrauit Franciſci Polleti hiſtoriam fori Romani. Duaci apud Ioannem Bogardum 1572. & 1576. 8.

PHILIPPVS DVX, Flander, Muſicus inſignis: edidit librum Madrigalium quinque & ſex vocum à ſe eruditè compoſitum, & dedicauit multùm Illuſtri Ioanni,Iacobo & Carolo Khifelſt Baronibus in Kaltaprum &Gruemz,&c. Magiſtris venationum in Carinthia & Marchia Slauonica,&c.

PHILIPPVS DE COMINES, ex Illuſtri Cominæorum apud Flandros familia,& in qua aurei velleris equitem ſuperior ętas vidit,in Aula primùm CaroliAudacis Belgarum Princi-

Principis annos octo vixit. Pòſt Ludouici XI. Galliarum Regis partes ſecutus, gratiſſimus eidem fuit, & dum fata Deuſque ſinebant, ſummæ per Galliam auctoritatis. Nam rege extincto, Loſię in carcerem coniectus variè exagitatus fuit, auxilio omni & fauore humano exteriùs deſtitutus. Pariſios itaque vxore agente accerſitus, cauſam ipſe ſuam in frequenti Senatu egit, & aduerſariorum quorum magna erat apud Iudices potentia & auctoritas, conatum fregit. Forma fuit eleganti, ſtatura procera & heroica, memoria inſigni, lectionis variæ, ſtudij indefeſſi. Vnum dolebat maximè, quòd cùm Gallicam, Hiſpanicam, Italicam, Germanicam calleret linguas, ſolam Latinam ignoraret. Et hoc quoque laudem eius auget, inquit Lipſius notis ad lib. 1. politicorum ſuorum, quod tanta præſtitit omnium litterarum rudis, ſolo vſu rerum peritus, & naturali quadam iudicij bonitate. certè non veretur eundem componere cum quouis antiquorum. plura apud Valerium vide. Scripſit hiſtoriam rerum geſtarum ſub Ludouico XI. in Gallia, Burgundia, Flandria, &c.

PHILIPPVS DV TRIEV Societatis IESV Doctor, Theologus Duacenſis. Philoſophiam Duaci annos plures cum laude docuit, nunc Theologiam, quâ viâ atque ordine ratiocinatur pari fructu & laude docet. Edidit Duaci manuductionem ad Logicam 1614. Belleri typis.

PHILIPPVS MONTANVS, Doctor Theologus Pariſienſis, à primis annis Lutetiæ Eraſmo familiariſſimè & domeſticè eſt vſus: erat enim vtriuſque Linguæ peritiſſimus, vitæ integritate à puero inſignis, in pauperes largus, ſui contemptor, moribus certè ſanctioribus, vt magis pium vidiſſe neminem, ſcribit ad Franciſcum Bonualetum libr. 27.

Epiſtolarum Eraſmus: vixit perpetuò cœlebs, & ad ſupremum Theologiæ gradum peruenit, tametſi Sacerdos non eſſet aut vllo ordine inſignitus. Sexagenarius Duacum ad excitatam recèns Academiam venit; in qua tranquillè & placidè conſenuit, corpuſculo valido, mente quietâ, recognouit D. Ioannis Chryſoſtomi opera, &c. Obiit Duaci octogenario maior 1576. XI. Kal. Iunij.

PHILIPPVS MORVS, Iuuenis doctrinæ elegantis fuit, teſte Harduino. præfixit inter cætera Carmen Aldenardiadi Eytzwertianæ, quæ edita eſt Gandaui apud Ioannem Lapidanum.

PHILIPPVS, IOANNES, FRANCISCVS TORRII BELLIOLANI, variè docti fuiſſe perhibentur, & eorum honorifica mentio fit in Carmine quodam, quod præfixum eſt libro de actibus ſupernaturalibus Patris Ægidij de Coninck Societatis IESV Theologi, vbi & alij eiuſdem loci inquilini eruditione præſtantes, recenſentur.

P. P. KERCKOVIVS, Actiophanenſis, ſiue Dunkerkanus, reddidit Latinè, ex Italico, Lud. Guicciardini Commentarios de rebus in Europa, maximè verò in Belgio, memorabilibus. Antuerp. 1566. 8. apud G. Siluium. Obiiſſe in Anglia auctorem ſiue interpretem intelligo, cuius nomen adhuc quæro.

PROSPER STELLARTIVS, Neruius, Eremita Auguſtinianus, Rhetoricem & Poëſin Bruxellis tradidit: vir vtrauis oratione ſiue ſcriptione diſertus & elegans, edidit Auguſtinomachiam; pro S. Auguſtino & Auguſtinianis vindicias tutelares lib. 2. Lugduni in Galliis 1613. 8. apud Iacobum

cobum Rouſſinum. Nucleum hiſtoricum Regulæ magni Patris Auguſtini ad ſeruos Dei Antuerp.1618. 8. apud Gulielmum à Tongris. Paralellos 72. Auguſtini Catholici & Auguſtinomaſtigis hæretici: quibus orthodoxa D. Auguſtini & nouella ſectatorum doctrina ac fides ex Diametro opponuntur ibidem 1618.8.

Richardvs Bristolivs ſeu Bristovs, mediocri loco in Anglia natus, patriâ Wigorinenſis. A teneris annis futurarum virtutũ ſpem magnam dedit, quam in matura ętate nequaquã fefellit. Poſtquã domi apud ſuos prima percepiſſet bonarum litterarum tyrocinia, miſſus eſt Oxonium, adoleſcens alumnus Exonienſis Collegij, paulatim in inceptis progreſſus, contendit ad altiora. Ibi ad indagandam tum in humanis, tum etiam in diuinis ſcientiis veritatem, omnes ingenij neruos gnauiter intendit. Multo labore & induſtriâ prophanæ Philoſophiæ conſecutus eſt perfectionem, gratiâ & Spiritus ſancti lumine illuſtratus, cæleſtis veritatis viam inuenit, hæreſis deuium curſum deprehendit. Statuit igitur apud ſe, periculo ſe ſubducere, æternæ ſaluti ſuæ conſulere, è tenebris ad lucem, è Synagoga Satanæ ad Eccleſiam Chriſti confugere. Vltrò igitur patriam reliquit, Spontaneus exul in Belgium traiecit, Louanium petiit, & ibi pedem & ſedem figere conſtituit. Alanus circa idem tempus executioni mandare incepit, quod aliquot ante annos deliberato conſilio facere propoſuerat. Nempè vt iuuenes Anglos Catholicæ fidei cauſa, patria pulſos, & incertis ſedibus hinc inde vagantes, in vnum aliquem locum congregaret, & ad ſtudia pietatis ac bonarum litterarum ſub collegiata diſciplina nutriri curaret. Explorauerat iam multorum ingenia, & plures tum iuuenes, tum maturos viros ad hoc vitæ genus aptos inuenerat. De Briſtolio cum primis idem habe-

habebat iudicium. Itaque aſcitis cum eo quibuſdam aliis Duaci Collegium inchoauit. Inter hos emicuit & aliis præluxit Briſtolius, & ſolida doctrina, & morum grauitate, & apud omnes auctoritate, ex iis primus Sacerdotium ſuſcepit. Nec multo pòſt tempore Alanus illum ſtudiorum Præfectum conſtituit, erudiendis aliis Præceptorem fecit, & aſciuit ſibi in Collegij regimine præcipuum adiutorem. Duaco tandem Rhemos diſcedens, eundem ſuo loco ſurrogatum reliquit in Academia Duacenſi Sacræ Theologiæ publicum Profeſſorem. Sed cùm Rhemis eſſet ſubſiſtendum, & Alanus ibi operâ Briſtolij carere non poſſet, poſt aliquot menſeş illuc eum ad ſe vocauit, eique priſtinam Seminarij curam denuò commiſit. Inter hæc Briſtolius partim Louanij, partim Duaci gradus Theologicos, & ipſam Doctoralem lauream iam ſuſceperat. Erat vir inſigniter eruditus. Humili quidem ſtylo, ſed ſolidis fundamentis omnia ſua ſcripſit. In iis quæ ad Deum ſunt, pius & deuotus. In iis quæ ad proximum, modeſtus, mitis, manſuetus. Rhemis in Campania Gallię ſemel hominē vidi & ſalutaui, eiuſq; fruitus ſum ſuauiſſimo Colloquio circa annum Domini 1580. menſe Auguſto. Magna præſtitit Eccleſiæ Dei, præſtitiſſetq; maiora, niſi obſtitiſſet aduerſa valetudo. Pleraq; ſcripſit Anglicè Rationes tamen motiuas Anglicè editas, vel ipſe, vel alius aliquis poſteà nonnihil auctas fecit Latinas. Quod opus illo moriente imperfectum relictum ferunt, & amicorum operâ poſt annos tandem multos in lucem prodiiſſe. Multum ei fuit negotij cum Caluiniſtis Anglis, præſertim cum quodam futili Fulco & nugatore miniſtro. Scripſit autem contra importunos Caluini ſectatores Anglicè de rationibus ad fidem Catholicam amplexandam mouentibus variarum quæſtionum, ſeu, vt is vocat, Motiuorum, lib. 2. Antuerpiæ 1599. Extant Latinè Atrebati

bati anno 1608. Expoſtulationum ad omnes hæreticos, lib. I. Annotationes in nouum teſtamentum Rhemis Anglicè verſum, quæ nunquam in lucem prodierunt, lib. I. Apologiam Alani & ſuiipſius contra Fuſcum, lib. I. Carminum diuerſorum Latinè, lib. I. Et alia opuſcula. Tandem ad valetudinem recuperandam in natale ſolum occultè reuerſus, prope Londinum non multo pòſt tempore Confeſſor in pace quieuit circa annum Euangelicæ gratiæ 1582. Eccleſiam Chriſti in Anglia perſequente Regina Elizabetha.

ROBERTVS Cameracenſis Epiſcopus, ob raram eo tempore viri virtutem ac eruditionem pluribus beneficiis Eccleſiaſticis dotatus fuit, adeò vt Annales noſtri eum fuiſſe memorent Præpoſitum Aërienſem, Audomarenſem, ſancti Amati Duacenſem, Brugenſem item ac Flandriæ Cancellarium, admodumque eiuſdem Prouinciæ Comiti gratioſum. quæ res inprimis odium ei ac inuidiam quorundam præcipuè Magnatum conciliauit, adeò vt paruo comitatu Condatum iuxta Valencenas profectus, ibidem à maleuolis obtruncatus ſit. Eius necem Balduinus Hannoniæ Comes oppido incenſo, muriſque ac turribus deiectis egregiè vltus eſt: Philippus quoque Flandriæ Comes omnem poſſeſſionem quam apud Veromanduos habebat, Iocobo Aueſnenſi, cuius inſtinctu ſacrilegum facinus perpetratum erat, abſtulit. Accidit ea res circa annum Domini 1171.

RICHARDVS HALLVS natione Anglus. Hic poſtquam in Academia Cantabrigienſi ſtuduiſſet in Collegio Chriſti, vt hæreticorum perſecutionem fugeret, ſuæque ſaluti conſuleret, ſe recepit in Belgium. Inde Romam profectus ſucceſſu temporis ibi creatus eſt ſacræ Theologiæ Doctor. Reuerſus autem in Belgium ab Arnoldo Gandenſi Abbate

Martionenſi ad S. Rictrudem circa annum Domini 1570. vocatus, Monachis ibidem ſacram Theologiam prælegit. Vbi quietem nactus, typis mandari curauit librum Ioannis Giouani de ſchiſmate, & præfixa epiſtola dedicatoria benè prolixa opus dedicauit præfato Abbati. Deindè Cameraci ad S. Gaugericum factus eſt Canonicus. Sed ingruente bellicâ tempeſtate Duacum ſe recipere coactus eſt. Vbi circa annum Domini 1580. cum vidi, noui, ſæpè diſputantem, legentem, & modò Anglicè, modo Gallicè concionantem audiui. Erat ſanè vir cui pietas in Deum, charitas in proximum, benignitas in omnes, multiplex etiam eruditio, magnam apud omnes conciliauit beneuolentiam. Tandem multo pòſt tempore iam ſenior factus eſt Canonicus & Officialis Cathedralis Eccleſiæ S. Audomari, vbi vſq; ad vitæ finem permanſit. Ingenij porrò doctrinęque ſuæ monimenta non ſpernenda poſteris reliquit. Pro defenſione Regiæ & Epiſcopalis dignitatum, lib. 1 De quinque partita conſcientia, lib. 3. Cum conſcientia aliquid extat Duaci anno 1598. Contra proprietatem Monachorum, lib. 1. Orationum multarum, lib. 1. Prolixam epiſtolam dedicatoriam in Giouanum de ſchiſmate. Incidit in manus meas. Louanij anno 1573. Vidi in Bibliotheca Delowaienſi Benedictinorũ Anglorum. Vitam Ioannis Fiſcheri Roffenſis Epiſcopi Anglicè, lib. 1. Vidi mſc. ibidem. Carmina diuerſa, lib. 1. Tandem ad S. Audomarũ vitam finiuit, & ibidem ſepultus iacet ante ſacellum S. Andreæ à latere ſiniſtro Chori, cuius ſub imagine Chriſti crucem portantis hoc epitaphiũ poſitũ eſt: Hic iacet reuerendus D. Magiſter Richardus Hallus, ſacræ Theologiæ Doctor, huius Eccleſiæ Canonicus & quondam Officialis. Qui obiit viceſimoſexto Februarij anno Domini 1604. Regnauit tum in Anglia Iacobus Primus. Hoc Epitaphium à S. Audomaro vſq; in Lotharingiam ad me miſit Gualterus Sadle-

Sadlerus, aliàs Don Robertus Ordinis S. Benedicti Sacerdos Anglus, & Anglicanæ congregationis Monachus.

Richardvs Smithaevs vel Smithvs, natione Anglus, patriâ Wigornienſis, Sacræ Theologiæ Doctor & Regius Profeſſor primùm Oxonij in Anglia, deindè Louanij in Brabantia. Vir integritate & ſingulari doctrinâ conſpicuus; Subtilis ingenij, tenacis memoriæ, ad Scholaſticas concertationes mirè auctus, per omnia denique Doctor perfectus & abſolutus, ſi non obſtitiſſet laterum debilitas, & vocis exilitas. Hæreſes & hæreticos acerrimè inſectabatur, & aduerſus primarios quoſque ſui temporis ſectarios pereruditè ſcripſit Petrum Martyrē apoſtatam Monachum, & hæreſis Zwinglicanæ ſectatorem à rege Edwardo Sexto Oxonij in Cathedram Theologicam intruſum, in publicis diſputationibus hæreſis conuicit, & Cathedram ſuam victor repetiit, ſed Rege obſtante non impetrauit. Itaque tunc ſolum vertit, Belgium petiit, Louanij, vt dixi, ſacras litteras docuit. Sed Edwardo mortuo, & ſublimata ad regni ſolium cum Philippo Hiſpano Maria regina Catholica, domum reuocatus, & honoribus reſtitutus, factus eſt Reginæ à ſacris. Sed poſt quinquennium circiter mortua Regina, & iterum mutato rerum ſtatu, denuò exulauit, & Belgium repetiit. Vbi à Philippo rege Catholico factus eſt Decanus ad D. Petrum Duaci. Ibi etiam per idem tempus erecta Academia, poſitus eſt primus ſacrarum Litterarum Profeſſor. Omnem igitur, vti conſueuerat, laborem, induſtriam, doctrinam eò direxit, vt hæreſes confutaret & extirparet, fidem Catholicam propugnaret & propagaret. Vnde partim Latinè, partim Anglicè ſcripſit contra pleroſque nominatiſſimos ſui temporis hæreticos, à quibus mille, puto, calumniis impetitus eſt. Scripſit autem De Baptiſmo paruu-

lorum, lib. I. Refutaturo, lector, craſſam & exitioſam. Extat Louanij anno 1562. De conſiliis Euangelicis & operibus ſupererogationis, lib. I. Philippus Melanchton. Extat ibidem eodem anno. Defenſorium ſacrificij Miſſæ, lib. I. Defendit hic libellus. Ibidem. Contra libertatem ieiunij, libr. I. Aſſertionem Sacramenti Altaris, libr. V. Fidelis & Chriſt. lector. De veritatibus non ſcriptis ſeu de ſacris traditionibus, lib. I. In hoc libro, Chriſtiane lector. In Apocalypſim, lib. I. Quem ſe vidiſſe, mihi coràm aſſeruit Richardus Stanihurſtius. Opus opinor periiſſe. Diatriua de hominis iuſtificatione, lib. I. Cùm mos inoleuerit, vir optime. Extat Louanij anno Domini 1550. De votis Monaſticis contra Petrum Martyrem, lib. I. Virginitas, inquit, aut continentia. Pariſiis anno 1550. De cœlibatu Epiſcoporum & Sacerdotum contra eundem, lib. I. Procliue fuerit. De Eccleſia, lib. I. Enarrationem ſuccinctam de ſacrificio Miſſæ, lib. I. Habes hic candide Lector, Beda noſtras. Extat Louanij 1562. Confutationem eorum quæ Philippus Melanchton obiicit contra Miſſæ Sacrificium, lib. I. Cum inſigniſſima. Louanij, 1562. Contra Thomam Cranmerum hæreticum Anglum, lib. I. Contra varias hæreſes, lib. II. Confutationem locorum communium Philippi Melanchtonis & Lutheri, lib. I. Extat Duaci 1563. De primatu Romani Pontificis, lib. I. De Sacerdotio Chriſti externo, & de ſacris Eccleſiæ Catholicæ Altaribus, libr. II. Cùm iam diſſeruerimus. Louanij anno 1562. De libero hominis arbitrio, libr. I. Extat 1563. Confutationem hæreticorum qui ſcripſerunt contra Canonem Miſſæ & Purgatorium, libr. I. De merito mortis Chriſti contra Caluinum, libr. I. Quo clarè videas. Extat Louanij anno 1562. Retractationem ſuorum errorum, libr. I. Et alia etiam ſcripſit opuſcula atque tractatus plurimos. Atque hæc plera-

pleraque vidi Cliuis in Bibliotheca Canonicorum in Eccleſiæ porticu meridionali. Item Delowariæ in Lotharingia in Bibliotheca Benedictinorum Anglorum. Porrò Smithæus noſter exul obiit pro fide Duaci in Belgio, & ibidem in Eccleſia S. Petri ſepulturam accepit ſeptimo Idus Iulij anno Salutis reparatæ 1563. regnante in Anglia Elizabetha. Eius epitaphium in appenſa tabella in præfata Eccleſia & ſacello Virginis Matris deſcriptum ad me miſit Richardus Vitus Legum Doctor Anglus, quod ſic habet: Richardus Smithæus Anglus Theologiæ Doctor, Regij ſacrarum litterarum Profeſſoris munere Oxonij in Anglia multis iam annis ſumma cum laude functus, dum fidei tandem Catholicæ cauſa, patria iterum exulat, ab optimo vereque Catholico Principe Philippo Hiſpaniarum rege Præpoſiturâ Collegij Diui Petri Duacenſis ornatur, publiceque ibi inſtitutæ Scholæ propenſiſſimis optimorum ciuium ſtudiis primus ſacrarum Litterarum publicus Prælector creatur. Quo in munere cùm annum iam paulò minùs fœliciſſimè verſatus eſſet, præclaraque ingenij monimenta contra graſſantes ſui temporis hæreſes, publicis mandata litteris reliquiſſet, ſeptimo Idus Iulias anno à partu Virgineo 1563. ætatis verò ſuæ ſexageſimo tertio, magno omnium ordinum mœrore, fato conceſſit, publicoque elatus funere, hoc Virginis Matris ſacello ſepultus eſt. Cuius animæ vt Deus Optimus Maximus pro ſua clementia miſericors eſſe velit, pias, candide Lector, ad communem Dominum preces fundito, fœlixque age.

RICHARDVS VITVS natione Anglus, Diœceſis Wintonienſis, patriâ Southamptonienſis ex oppido Baſingſtoco. Adoleſcens Wintoniæ litteris humanioribus, vir factus

Oxonij ſtudiis altioribus operam dedit, vtrobique in Collegiis Wiccamicis, hoc eſt, à Gulielmo Wiccamo Epiſcopo Wintonienſi fundatis. Euerſa poſtmodum in Anglia Religione Catholica, exiit patriâ, & primùm Louanij in Belgio, deinde Patauij in Italia, Iuriſprudentiæ ſtudiis tam ſtrenuam nauauit operam, vt tandem in vtroque Iure ſummam Lauream ſit conſecutus. Ex Italia demum reuerſus, Duaci ad triginta & amplius annos ius vtrumque tanquam Regius Profeſſor publicè docuit. Vbi mihi circa annum Domini 1580. cognitus, & nō ſemel ſalutatus eſt. Tandem poſt ſecundas nuptias, ex diſpenſatione Summi Pontificis Clementis VIII. Sacerdos factus eſt. Scripſit expoſitionem cuiuſdam antiqui Epitaphij ænigmatici quod in agro Bononienſi habetur, cuius initium eſt, Ælia Lælia Criſpis, &c. lib. I. Non ſum neſcius. Extat Patauij anno 1568. habeo, legi. Ad legem decemvirorum in duodecim tabulis, libr. I. Hiſtoriarum Britannicarum & Anglicarum, libr. II. Orationum quinque cum notis, lib. I. Quod ego ſemper optaui, Extat Atrebati anno Domini 1596. Orationū ſeptem ad Bernardinū Paulinum Papæ Clementis VIII. Datarium, lib. I. In hiſtoriis Britanniæ habeo in mea Bibliotheca, De Reliquiis & Veneratione Sanctorum, lib. I. Priuſquam accedo, Extat Duaci anno 1609. habeo, legi, Breuem explicationem martyrij Sanctæ Vrſulæ, & vndecim millium Virginum, lib. I. Conſtantino adminiſtrante bellum. Extat Duaci anno 1610. habeo, legi. De aliis eius ſcriptis nihil habeo comperti. Duaci viuit adhuc & ſcribit hoc anno Dominicæ Incarnationis 1611. ſub regno Iacobi Primi Catholicis in Anglia graui.

Robertvs dv Triez Iuſulenſis, Valerio teſte. Scripſit Gallicè De Impoſturis malignorum ſpirituum. Prodiit liber Cameraci anno 1563. in quarto.

Rober

Robertus le Febure Duacenſis, Ludimagiſter Cameracenſis, Poeta. Scripſit quędam Carmina, quæ extant in Enchiridio ſacrorum Carminum, compilato per Magiſtrum noſtrum F. Petrum Bacherium Gandauenſ. Vixit an. 1582.

Robertus Gaguinus (Trithemio Rupertus) Duacẽſis (And. Thenetus lib. de Viris Illuſtrib. è pago Atrebatio vicino oriundum auctor eſt) Ord. SS. Trinitatis Miniſter, vt vocant, generalis. Lutetię Pariſiorum ad S Maturinum perpetuò vixit, Canonum Doctor, & Legationibus variis pro Galliarum rege pręclarè functus. Vir variè doctus, Theologus, Iuriſconſultus, Orator, Poëta, Hiſtoricus, eoq; nomine Trithemio, & Eraſmo laudatus. Scripſit de origine & regibus Francorum vſq; ad Carolum VIII. lib. 12. editos Lugduni, Pariſiis, Francofurti 1577. De Conceptione Virginis Deiparæ aduerſus Vincentium de Caſtro nouo, Carmine & proſa, De miſera hominis cõditione lib. 1. Orationes, Epigrammata à Iudoco Badio anno 1498. edita, & alia à Trithemio recenſita, qui Italos ſæpè ſtupidos Gaguini eloquentia redditos teſtatur. Vita defungitur Pariſiis anno 1501. XI. Kal. Iunias, apud ſuos conditus.

Rosiana Teneramundensis, Poëticæ vernaculæ ſcientiſſima, vt aſſerit Harduinus, cuius extant multi Rythmi elegantes cùm ipſa tamen eſſet ἀναλφάβητος.

Rumoldus Mortierius, Duacenus, edidit Pariſiis, vbi bonas profitebatur litteras, Orationem de querimoniis profeſſionis litterariæ, 1600. ad Iac. Aug. Thuanum.

Salomon Faber Thynophanius, Iprenſis. Scripſit Parænesin de inſtitutione morum puerilium, ſiue de legibus Scholaſticis ἀκροστιχίδας diuerſorum Carminũ προσγυμνασματικῶν ſyluam. Famulitium Ludouici vnus Carmine elegiaco

Παρα-

παραφραςικῶς reddidit. Eius etiam multa extant Carmina Poëmatis Iacobi Sluperij immixta. Auctor hic ſua dedicauit opuſcula Domino Ioanni à Lichteruelde, Toparcho de Beauriuart & du Croix, impreſſa Antuerpiæ apud Ioannem Withagium 1563.

SAMVEL QVICKELBERGIVS, Flander, Medicus. Floruit Ingolſtadij in Bauaria, 1553. & confecit ibidem tabulas Medicinæ, Medicis vtiles. Moliebatur idem magno animo auſuque opus immenſum, & totam naturam Vniuerſi complexum, Theatri ampliſſimi nomine, cuius delineationem dedit & capitum ſingulorum titulos: cum admonitione & conſilio de vniuerſo eiuſdem Quickelbergij Monachij 1565. verùm hæſit auctor in incepto operis ingentis. Præter hæc idem collegit apophthegmata & ſtratagemata Biblica.

SERVATIVS TORNACENSIS, Scripſit De diuina IV. Energumenorum liberatione apud Sueſſiones. Pariſ. 1583. in 4.

SEBASTIANVS AVGVSTVS NOVZENVS Flander, Linguæ Hebraicæ in Marpurgenſi Heſſorum Academia Profeſſor. Scripſit librum De prima ſermonis Hebr. lectione, De litterarum, vocum & accentuum Hebraicorum natura, ex Rabbinorum ſcriptis, De litterarum ſeruientium officiis Compendium, Marpurg. 1532. apud Franc. Rhodum. Mortuus, conditusque Marpurgi Cattorum.

STEPHANVS Epiſcopus Tornacenſium, ordine vndequinquageſimus. Scripſit Epiſtolas 240. Pariſiis editas (vbi Abbas fuit S. Genouefæ Ord. Canonicorum Regularium) anno 1611. cum aliorum Epiſtolis; vnde vitam eius excerpſit Ioan. Cognatus in Tornacenſium Annalibus Gallicè conſcriptis Tomo ſeu libro III. cap. 58.

STE-

STEPHANVS STRATIVS, honeſto genere in Waſia Flandriæ Dolæ in Sequanis ſiue Francoburgundia, iura ciuilia profeſſus eſt. moriens reliquit multa in iure ſcripta, ſed ſcripta tantū quæ ſpes eſt vt vidua eius etiamnū Lutetiæ Pariſiorum in patria viuens, edat aliquando. audio inquit Harduinus antequam Dolæ ageret Doctorem, in Cancellaria Brabantiæ Conſiliariū fuiſſe.

SIMON CAVLERIVS, Flinenſis, qui locus apud Duacum eſt, nobili Virginū Ciſtercienſiū monaſterio clarus, annos plures in CollegioMarchianenſi Duaci Rhetoricen docuit, & edidit ibid. Rhetoricorum libros quinq; 1594.4. typis Ioannis Boſcardi, ingente ſtudio & curâ contexuit hiſtoriam ſiue Annales Eccleſiaſticos, quæ tamē hactenus lucem non vidit. Viuebat anno 1615. Pariſiis, nunc in Abbatia Laudenſi iuxta Inſulas.

SIMON TORNACI oriundus ex dialectico ſubtiliſſimo, imò omniū liberaliū artiū ſui temporis fere peritiſſimo, Theologicę etiam Scholę Pariſiis Cathedrā meruit aſcendere magiſtralem, in qua plurimos habuit Auditores. Scripſit librū quem vocauit Sententiarum ſuarum. Scripſit etiam quæſtiones ſuas, quas in ſcholis ſuis diſputatas determinauit Pariſiis. Expoſuit etiā Symbolū quod dicitur Athanaſii ſubtiliter, ſed dum nimis & in hoc & in aliis Scriptis ſuis Ariſtotelem ſequitur, à nonnullis modernis hæreſeos arguitur. Ita Henr. à Gandauo lib. de Ill. Scriptoribus Eccleſiæ. Addit Harduinus eum ſcripſiſſe in Boëtium de Trinitate librum vnum. Claruit anno Domini 1216.

SIGERVS PAVLVS Harlebecanus & Ciuis Colonienſis Muſicus. Compoſuit Pſalmodiā Dauidicam quinque vocibus: Pſalmi ſunt Dauidici lingua Germanica ſuperiore compoſiti. eum fuiſſe Caluiniſtam ſuſpicatur Dionyſius Harduinus.

THEODORVS ANTONIVS, PELTANVS, Societ. Ieſu, vir fuit

Latinè Græceq; doctiſſimus, & in aliis ſcientiis probè verſatus, cuius hîc elogium adſcribere placet è S. Theologiæ profeſſoribus Academiæ Ingolſtadienſis auctore Valentino Rotmaro. Theodorus Antonius Peltanus ex inferioris Germaniæ Pelta Pago oriundus, Soc. IESV Theologus anno 1556. cum aliis quibuſdam Patribus de Societ. IESV Thoma Lentulio Nouiomagenſi, Ioanne Cuuillonio Inſulenſi, & Hermanno Tyrço Noueſienſi, Doctoribus Theologis menſe Auguſt. ad Ingolſtadienſem accedit Academiam & Græcæ Hebraicæque litteraturæ profeſſor ordinarius conſtituitur, In Theologia omnes gradus tam Baccalaureatus quàm ſupremos eſt adeptus. Anno 1562. menſe Aprili doctoralia recipit inſignia, & in lectione Theologica D. Cuuilonio qui ad Concilium Tridentinum proficiſcebatur, ſuccedit. Si quis vel propter ingenij candorẽ & acumen, vel in diſputando tam in Philoſophica quàm Theologica arena ſubtilitatem & promptitudinem, meretur laudem, certè ille ampliſſimis dignus eſt encomiis, vt interim linguarum cognitionẽ quam publicis ſcriptis, & verſionibus aptiſſimis & ornatiſſimis toti Eccleſiæ iam teſtatam reliquit, ſilentio præteream. Docuit Theologiam ab anno 62. vſque ad 74. Frequentibus in materia Theologica diſputationibus habitis, ſeceſſit poſteà Auguſtam Vindelicorũ, vt ſe quieti ſenex traderet, quæ etiamnum huiuſmodi fuit, vt cum ſumma totius Eccleſiæ & Religionis Catholicæ vtilitate eſſet coniuncta. Nunc de ſcriptis videamus. Theſes plurimas de diuerſis fidei controueſiis & publicè Peltanus diſputauit, frementibus Hæreticis, & typis, vt ad alios quoque emanaret vtilitas, euulgauit. Sunt in manibus Propoſitiones de purgatorio igne, de animarum ſedibus de vita functorum ſuffragiis, de Chriſtianorum ſepulturis, &c. Item de Chriſti ſatisfactione & natura, lib. 2. de matrimonio vtiliſſimum quoque opus, vernis quadrageſimæ aptum ieiuniis, dedit de tribus bonorum operum generibus, Eleemoſyna, Ieiunio & Oratione, præctereà

Theo-

Theologiam naturalem ac myſticam, de peccato originis tractatus duodeviginti, quæ verò de Gęrcis Latina fecit, hæc ſunt: Synodi Epheſinæ primæ acta cum notis, Septemdecim Gręcorum Patrum homiliæ in præcipua Chriſti feſta, Victor Antiochenus, Titus Boſtrorum Epiſcopus, Andreas Cæſareæ Cappadocũ opus. Illuſtrauit Prouerbia Commentariis ac paraphraſi, & Catenam Græcorũ Patrũ concinnauit. Obiit Auguſtæ 1584.

THEODORICVS MARTINVS, Aloſtenſis, primus, Harduino aſſerente, apud Louanienſ. Typographus, vir doctus, multa impreſſit, ſuo etiam Marte quædam compoſuit, ſæpè laudatus ab Adriano Barlando. vixit circa annum Domini 1527.

TIMOTHEVS HOIVS Andreæ filius, vir in politiore litteratura egregius, Euchilogiũ Græcorũ emendauit & notis illuſtrauit. De eodẽ hic Iacobus Bongarſius in ſua ad libros orientaliũ expeditionũ præfatione Pariſienſis Codicis (hiſtoriæ ſacrę Gulielmi Tyrij) qui in Nauarræo Collegio exſtat. Index fuit Aubertus Miræus, eiuſque poſteà lectiones à vulgato diuerſas, diligenter & iudicio collectas, miſit ad me Timotheus Hoius Andreæ filius. Alia eius in Remp. litterariã beneficia expectamus. Nunc Dieppæ in Normannis docet Congregationis Oratorij Presbyter. Varia, Harduino teſte, & ſuauia ſcripſit Carmina, quale inprimis eſt illud quod Cœnobiarchię Ogniacenſi Franciſci Moſchi Mingellatis præpoſuit.

THOMAS DE HERENTALS, Ordinis Fratrum Minorũ Regularis Obſeruantiæ Conuentus Iprenſis Guardianus, edidit Teutonicè enarrationem Symboli, Orationis Dominicæ, Decalogi, &c. Impreſſit Antuerpiæ Simon Cocus 1541. Opus Speculum vitæ Chriſtianæ appellauit.

THOMAS DIACONVS, Monachatu & Patriâ Bergenſis ad S.

Winocum oppidi Bergenſis anno 1383. à Gallis dicepti incenſique, & Cœnobij ſui calamitatem, ſuamque captiuitatem ſcriptis publicauit, vti memorat Marchantius in ſua deſcriptione Flandriæ. Meyerus de eo refert lib. 13. Annaliũ, quòd in nocte natalis B. Marię, primũ à Normannis, iterũ à Burgundis captus ac Brucburgum ductus, per Ludouicum Maleanum Comitem Flandriæ liberatus fuerit, ſed cùm fanum peteret Audomari ab aliis Gallis iterũ captũ & trans Somonã ad Abbe villã Hiſdinũ pertractũ fuiſſe, vbi propè diuinitus euaſit, & ad Abbam Blangiacenſẽ peruenit, tandẽ domũ reſtitutus, habuit hoc S. Winoci monaſteriũ ſemper doctos viros. Qua de re idẽ Meyerus, lib. 3. Annaliũ in vita Roberti Friſij ſic ait, Anno 1083. arſit Monaſteriũ D. Winocibergenſis, quo abſumptos incendio tradunt lib. 34. ſcripta videlicet ac monumenta ſtudioſorũ virorũ eius domus.

THOMAS GVARINVS, Neruius ſiue Tornacenſis, Harduino teſte. Typographus fuit Baſileenſ. in Heluetia, vir doctiſſimus, multas ſcripſit epiſtolas, quas libris à ſe impreſſis præfixit. Vixit anno 1570.

THOMAS RIVS Senatoriæ dignitatis apud Winocibergenſes in Flandria, habuit Romæ Orationem ad Pium IV. Pontificem Maximum pro Legato Regis Catholici Ignatio de Mendoza, quæ excuſa circumfertur.

THOMAS STAPLETONVS nobili in Anglia familia natus, locum ortus ſui habuit Hemfeldam oppidum Comitatus Southſaxiæ, fuitque eodem anno & menſe in lucem editus, quibus Thomas Morus fuit martyrio coronatus. Vir ſanè cui multis nominibus vel mortuo ſum aſtrictiſſimus. Nam cùm an. 1580. Catholicę Religionis causâ ex Anglia transfretarẽ in Belgium, Duacum miſſus, ad eum directus, ibidem ab illo perhumaniter hoſpitio ſuſceptus, & optimis conſiliis imbutus fui, Cum enim fluctua-

fluctuaret mihi iuuenilis animus, Muſaſnè proſequerer, an Marti nomen darem; is me in ſtudiorũ propoſito confirmauit, & mihi ſecundũ Deum tunc auctor fuit, ne fera pacificæ præferrem caſtra Mineruæ. Iam quod ad hominis dotes attinet, erat acris ingenij, ſolidi iudicij, ſummæ eruditionis, incredibilis induſtriæ, laboris, zeli: concionator facundus ſimul & vehemens, in fidei cõtrouerſiis valdè verſatus, ſacras etiam Scripturas quaſi ad vnguem calluit. Deniq; in omni melioris doctrinæ genere tantam conſecutus eſt perfectionẽ, vt inter eruditiſſimos ætatis ſuæ viros non immeritò eſſet numerandus. Sed quoniam in eius Epitaphio ad D. Petrum Louanij pleraque de eo notatu digniora ponuntur, operæpreciũ iudicaui illud hîc ad verbum adnectere, quod Ioanne Fenno ſubmittente, ſic habere accepi.

Hîc è regione ſepultus eſt eximius Dominus ac Magiſter noſter Thomas Stapletonus, qui Ciceſtriæ in Anglia nobili loco natus, & literarum ſtudiis à parentibus addictus, cùm in Collegiis Wiccamicis (primùm Wintoniæ, deinde Oxonij) eum in artium liberaliũ diſciplina curſum feciſſet, vt magnã ſui expectationẽ apud ſuos excitaſſet: ab ipſo ſuo vrbis Epiſcopo accitus, Eccleſiæ Cathedralis Canonicus inſtituitur. Sed paulò pòſt, profanis hominibus omnes totius Angliæ Eccleſias per ſummum nefàs inuadentibus, eõ quòd ille in impias eorũ leges iurare conſtanter renuebat, loco cedere, & ſibi fugâ (vt poterat) conſulere coactus, in has regiones concedens, Duaci primùm conſtitit, vbi Catechiſten ad tempus egit, donec tandem ad ſupremam Magiſterij dignitatem, & cathedram euectus, ſacras Scripturas publicè ſumma cum laude interpretatus eſt. Inde Louanium à ſua Maieſtate Catholica euocatus, in hac Academia ſacræ Theologiæ Profeſſor Regius, in hac D. Petri Eccleſia Canonicus, in Collegio Hilberbecenſi Decanus extitit. Demum poſt quadraginta duos annos in exilio tranſactos (quos ferè prælectioni aut ſcriptioni omnes impendit) ceſſit è vita relictis laborũ ſuorum

monimentis, partim Anglicè ad ſuos, partim Latinè in commune totius Reipublicæ bonum deſcriptis, quæ quanta fuerit eius induſtria, quanta animi pietas, quàm accenſum veritas Catholicæ propugnãdæ ſtudium, omnibus ea lecturis teſtatum facient. Hactenus epitaphium. Sed ad huius Doctoris ſcripta veniamus. Quo tẽpore Ioannes Fechnamus Abbas Weſtmonaſterienſis ſcripſit ſuum librũ contra ſupremã auctoritatẽ regiã in negotiis Eccleſiaſticis, reſponſum emiſit contra eum quidã hęreticus nomine Hornus, ſcientiã idiota, moribus ruſticus, vultu totoq; corpore tam deformis, vt alterum quodammodo dixeris Æſopum, qui omnium vxoratorũ primus inuaſit Epiſcopatum Wintonienſem: contra reſponſionẽ hanc cuiuſcumq; illa fuerit, ſcripſit Stapletonus contra Flatum, quem vocat Anglicè Counterblaſt, lib. 4. Louanij 1567. vidi in Biblioth. Benedictinor. Anglorum Delowariæ. Ad replicam Ioballi contra Sacrif. Miſſæ Anglicè, lib. 1. Louanij eod. an. vidi ibid. Cõtra mendacia eiuſdẽ Ioballi, li. 1. Antu. 1566. vidi ibid. Fortalitium fidei Anglicè, lib. 1. Antuerp. 1565. vidi ibid. Tranſtulit è Latino in Anglicum hiſtoriã Anglorum Bedę, lib. 5. Extat eod. loc. & an. vidi in dict. Biblioth. Delowarię. Tranſtulit Fridericum Staphilum de diſſidiis hæreticor. vol. magn. Antu. 1565. Scripſit etiã contra Guilhelm. Wittakerum de SS. Scripturarũ approbatione, l. 3. Antu. 1592. Speculum prauitatis hæreticæ per ſex orationes quodlibeticas, li. 1. Duaci 1580. Orationẽ Academicã, an Politici horum temporum, Chriſtiani ſint habendi. 1602. Manuale peccatorum, ſeu de 7. capitalibus peccatis orationes Catechiſticas 12. lib. 1. Quod Ægyptius quidã Sacerdos. Antuer. 1598. habeo in mea Biblioth. Orationes dogmaticas & funebres ſex, li. 1. ib. an. 1577. Antidota Euanglica contra horum temporum hęreſes in 4. Euangeliſtas, li. 1. Scitum & perelegans. Antu. 1595. Antidota Apoſtolica, h. e. in Acta Apoſtolorum ad Clementẽ Papã VIII. li. 1. Niſi ea eſſet diuinæ ſapientiæ. Ibid. eod. an. Antidota

Apoſto-

Apoſtolica in Epiſt.ad Rom.li.10. ib.eod.an. Antidota in duas Epiſt.ad Corinth.li.1. Quem nunc in Apoſtolicis ſcripturis.ib. an.1598. & 1600. De principiis fidei doctrinalib.li.12. Pariſiis 1579.1582. De iuſtificatione,l.12. Pariſiis 1582. Promptuarium Catholicum concionum ſuper omnia Euãgelia totius anni. Colon.1592. & 1602.habeo in mea Biblioth. Promptuarium morale ſuper Euãgelia Dominicalia totius anni,in partẽ hyemalẽ & æſtiualem diſtributum. Antuerp.1591. Venetiis 1594.habeo in mea Biblioth. De tribus Thomis,li.1. Cùm tres iſtos Thomas. Extat Duaci 1588.habeo in mea Bibliot. Relectiones Principiorum fidei doctrinaliũ ſcholaſticè explicatas cõtra Wittakerum. Antu.1592. De magnitudine Eccl.Rom. ad Clem. Papã VIII. lib.1. Qui tanquã proles poſthuma poſt auctoris mortẽ prodiit Antuer.1599. habeo. Scripſit etiam multa alia tum verſu tum oratione ſolutâ. Louanij tandem inBrabantia ſanctiſſimè diem ſuum obiit 12.Octob.1598.regnante in Anglia Elizabetha.

THOMELLVS FLANDER, Scripſit vitam Balduini Inſulani Comitis Flandriæ, & Chronicon. Vixit 1070. Vide Gazæum, Iacobum Meyerum in Annalibus.

TOVSANVS MVSARTIVS,Inſulenſis,Mathematicus & Aſtronomus,vt Harduin.teſtatur in ſuo de Flandriæ Scriptorib. Cõmentario,ſcripſit & euulgauit Iudiciũ Aſtronomicũ anni 1523.

WALRANDVS CAHOVLTIVS,Hanno,Presbyter,edidit miracula B. Virginis Deiparæ apud Tungros, Camberones,& Seruios in Hannonia. Duaci 1600.12. apud Boſcardum.

WALTERVS Epiſc.Magalonenſis,patriâ ſecundùm Valerium idem cum priore Inſulanus. Expoſuit Pſaltērium ſtilo puro & eleganti,ait Gazæus,ad petitionem Prępoſiti & Canonicorum Inſulenſium. Alia aſſerit eum ſcripſiſſe Harduinus,quæ ad manus noſtras non peruenerunt. Vide Henricum à Gandauo in Catalogo c.19. Memoratur & à Thitbemio Abb.Spanheymenſ.

WALTE-

WALTERVS INSVLENSIS dictus de Caſtellione, vt ait Harduinus, Inſulis oriundus, vnde eſt illud eius Monoſtichon:

Inſula me genuit, rapuit Caſtellio nomen,
Perſtrepuit modulis Gallia tota meis.

Geſta Alexandri Mag. eleganti metro cōſcripſit, qui liber, eod. Hard. aſſerente, in ſcholis Grammaticorū tantæ dignitatis fuit, vt præ ipſo veterum Poëtarum Lectio negligeretur. Vide Henricum à Gandauo in Catalogo Scriptorum cap. 20.

WALTERVS MONACHVS, Flander, vt ait Harduinus, atq; vti Valerius And. in Biblioth. Archidiac. Morinenſ. ſcripſit librum de vita & morte Caroli Boni Fland. Comitis ad Ioannem Morinorum Epiſc. Memoratur à Meyero libro 4. Annalium in vita dicti Comitis. ait Valerius, vitam hanc mſc. extare Louanij apud Patres Societatis IESV.

WILMARVS BERNARDVS, natus in Pago agri Caſletani Eecka, qui, vti ſcribit Meyerus, nomē habet ab arbore quadam caua iuxta fontē; in qua latuit S. Vulmarus Abb. qui & S. Vulmarum templi ſui Patronum ſtudioſè veneratur: Iuris Canonici primarius in Acad. Louanienſi Profeſſor fuit, & ſubinde eiuſdem Vniuerſitatis Rector, Antiquitatum ſtudioſiſſimus. Audiuit eum docentem Harduinus 1558. & neſcio quid de pœnis Canonicis ſcripſiſſe eundem aſſerit.

WIMBERTVS TORNACENSIS, Harduino aſſerente, fertur ſcripſiſſe Hodopœricon primæ profectionis piæ memoriæ D. Ludouici regis Francorum ad partes tranſmarinas. Ita Henricus à Gandauo c. 54.

ZACHARIAS ROTHVS, Soc. IESV Presb. natione Flander, diligens Concionator & copioſus, zeloque promouendæ diuinæ pietatis ardens, in Caſtris Friſiæ (vt Ribadeneira ait in Catalogo Scriptorum eiuſdem Societatis) militibus operam conſolando dans extinctus eſt. Scripſit in Eburonum agro Catechiſmi Lectiones duodecim cùm Gallicè tum Belgicè.

CATA-

CATALOGVS
SCRIPTORVM.

ADrianus Butius.
Adrianus Meerbecanus.
Adrianus Roulerius.
Adrianus Sarauia.
Adrianus Hegius.
Ægydius à Roia.
Ægydius Becius.
Ægydius Boelius.
Ægydius Betsbrugghius.
Ægydius à Leſsinia.
Ægydius de la Coulture.
Ægydius de Hertoghe.
Ægydius de Coninck.
Ægydius Moſtardus Pictor.
Alanus Inſulenſis.
Alardus Nuceus.
Alulphus Tornacenſis.
Aluiſus Abbas Aquicinctinus.
Alexander Syluanus.
Alexander Secundus Abbas Aquicinctinus.
Amandus Aquicinctinus.
Ambroſius Woeſtynius.
Anianus Abbas Aldenburgenſis.
Andreas Catullius I. C.
Andreas Croquetius.
Andreas Eligius.
Andreas Marchianenſis.
Andreas Molinæus.
Andreas Feuernagius.
Anſelmus Nieulandus.
Antonius de Blondel.
Antonius Hulſtius.
Antonius Meyerus.
Antonius Populier.
Antonius Syluius.
Antonius Schoormannus.
Arnoldus de Raiſſe.
Arnoldus Bartius.
Arnoldus Caboterius.
Arnoldus Gerardus.
Arnoldus Laurentius.
Arnoldus Maſsius.
Arnoldus Lenſæus.
Arnoldus Iſcanus.
Arnoldus Motorius.
Arnoldus Meermannus.
Arnoldus Vennekaus.
Arnoldus Segerſtaplius.
Arnoldus Wionus.
Augerius Giſlenus Busbequius.
Aquicinctinus Aſceta.
Balduinus Cabellautius.
Balduinus Imp. Conſtantinopolitanus.

Balduinus Faber.
Balduinus Lanſamius.
Balduinus Niniuenſis.
Balduinus Smetius.
Bartholomæus Battum
Bartholomæus Petri Lintrenſis.
Bernardus Euerardus.
Bernardus Rycquius Pictor.
Boetius Epo I.C.
Brando Ioannes Monachus.
Carolus à Landas.
Carolus à S. Audomaro.
Carolus Houckius.
Carolus Liebardus.
Carolus Iprenſis Pictor.
Carolus Blender.
Carolus Blondeſques.
Carolus Blommæus.
Carolus Sucquetus.
Carolus Vermanderius.
Carolus Rotcaſius.
Carolus Claeſſonius.
Carolus Virulus.
Carolus Malepertius Societatis Ieſu.
Chriſtianus Cellarius.
Claudius Carninus.
Chriſtianus Maſſæus.
Claudius de Roſimbos.
Claudius Danſqueus.
Cobbantius Aloſtanus.
Cornelius Duplicius Scepperus.
Cornelius Colonæus.
Cornelius Muenixus.
Cornelius Scribonius.
Cornelius Libardus.
Cyprianus de Rore.
Cyprianus Cornelius Graphæus.
Damianus Niniuenſis.
Dominicus à Flandria.
Dominicus Baudius.
Dominicus Cacaertus.
Dionyſius Villerius.
Drogo Monachus.
S. Eligius Epiſcopus Tornac.
S. Eleutherius Epiſc. Tornac.
Eduardus Weſtonius Theologus Duacenſis.
Ferdinandus à Lichteruelde.
Florentius vander Haer.
Franciſcus Baudimontius.
Franciſcus Carlier.
Franciſcus Caſar.
Franciſcus de Lattre.
Franciſcus de Neuuille.
Franciſcus Hemus.
Franciſcus Houtemius.
Franciſcus Moſtardus.
Franciſcus Nanſeus.
Franciſcus Polletus.
Franciſcus Regius.
Franciſcus Regnardus.
Franciſcus Roſa.
Franciſcus Rueus.

Fran-

Franciſcus Raphelengius.
Franciſcus Syluius.
Franciſcus Thorius.
Franciſcus Veruortius.
Franciſcus Debar.
Franciſcus Amelerius.
Gaſpar Banincourtius.
Gaſpar Hennickius Pictor.
Caſpar Nemius.
Georgius Cabillau Monachus.
Georgius Caſſander.
Georgius Coluenerius.
Georgius de la Hele.
Georgius Robinus.
Gerardus Mercator.
Gerardus Veruoeſtiu
Gerardus Veliwicus.
Gilbertus Tornacenſis.
Gilbertus Elnonenſis.
Geruaſius Tornacenſis.
Giſlenus Buetelius.
Gualterus Monſius.
Gualterus Morinenſis.
Gualterus Iſebrantius Auguſtinianus Ardenburgenſis.
Griphon Flander.
Gulielmus Brantigemius.
Gulielmus Bernardinus.
Gulielmus Burlius.
Gulielmus Courſinus.
Gulielmus Chericius.
Gulielmus Meſſinenſis.
Gulielmus Alanus.
Gulielmus Eſtius.
Gulielmus de Steenhuyſe.
Gulielmus Elſtius.
Gulielmus de Lattre.
Gulielmus Fabius.
Gulielmus Hanetonius.
Gulielmus Lapidanus.
Gulielmus Lydekerckius.
Gulielmus Martinus.
Gulielmus de Moerbeka.
Gulielmus Pantinus.
Gulielmus Quackelbenus.
Gulielmus Thyreus.
Gulielmus à Flandria.
Gulielmus Inſulenſis.
Gulielmus de Tornaco.
Gulielmus Simonius.
Gulielmus Tornacenſis.
Guntherus Monachus S. Amandi.
Henricus Brucæus.
Henricus Culens.
Henricus Dreſeus.
Henricus Smetius.
Henricus Pepinus.
Henricus Vicus.
Henricus Willotius.
Herimannus Abbas.
Hermannus de Petra.
Hermes Clerus Societatis Ieſu.
Hermes Winghen.
Hieronymus Clichtoueus.

Hieronymus Francus.
Hilduinus Taſſonius.
Hubaldus Monachus.
Hubertus Rodolphus.
Hubertus Clericus.
Hugo Frideuallius.
Hyacinthus Choquetius Dominicanus.
Henricus Zypæus.
Hariulphus Aldenburgenſis.
Iacobus à Migrode.
Iacobus à Meerlant.
Iacobus Belcherius.
Iacobus Bourgeſius.
Iacobus Codt Societ. Ieſu.
Iacobus Chyneus.
Iacobus de Keerle.
Iacobus Drieſchius.
Iacobus Longenhaghen.
Iacobus Louchierius.
Iacobus Budſinus.
Iacobus Eytzwertius.
Iacobus Maius.
Iacobus Moſander Carthuſianus.
Iacobus Marchantius
Iacobus Nauarchus.
Iacobus Meyerus.
Iacobus Leſſabæus.
Iacobus Nicolaus.
Iacobus Regnardus.
Iacobus Papa.
Iacobus Rogerius.
Iacobus Sluperius.
Iacobus Varentius.
Iacobus Volcardus.
Iacquemantius Greleus.
Ioannes à Ganda.
Ioannes à S. Amando.
Ioannes à S. Laurentio.
Ioannes à Lichtervelde.
Ioannes à Porta.
Ioannes à Wardo.
Ioannes à Waſia.
Ioannes ab Aſca.
Ioannes Aldenburgenſis.
Ioannes Beuerus.
Ioannes Cognatus.
Ioannes Boudinius.
Ioannes Bouchierius.
Ioannes Buridanus.
Ioannes Bourgeſius.
Ioannes Coſterus.
Ioannes Cotreau.
Ioannes Caſtelius.
Ioannes Caudronius.
Ioannes Cappatius.
Ioannes Crombecius Societ. Ieſu.
Ioannes Coenſius.
Ioannes Dauid Societ. Ieſu.
Ioannes de Bellagamba.
Ioannes de Bononia.
Ioannes de Teneramunda.
Ioannes Cuuillonius Societ. Ieſu.
Ioannes Deſpauterius.

Ioan-

Ioannes Druſius.
Ioannes Eechoutius.
Ioannes Eckenderbergius.
Ioannes Epiſcopus Leodienſis.
Ioannes Fredericus Lumnius.
Ioannes Gheeſdaltus.
Ioannes Gya.
Ioannes Frumeaux.
Ioannes Gerulphus Carthuſianus.
Ioannes Dubliuius.
Ioannes Deckerius Societ. Ieſu.
Ioannes Heemſius.
Ioannes Gaillemartius.
Ioannes Iperius.
Ioannes Haius Seruius Societatis Ieſu.
Ioannes Hanſamius.
Ioannes Iuuenis.
Ioannes Lentaillerus.
Ioannes Lenſæus.
Ioannes Loæus.
Ioannes Loys.
Ioannes Molanus.
Ioannes Molanus alter.
Ioannes Macarius.
Ioannes Harlebecius.
Ioannes Morocurtius.
Ioannes Paludanus.
Ioannes Pelliſonius.
Ioannes Mahuſius.
Ioannes Royardus Minorita.
Ioannes Rubus.
Ioannes Roſerius.
Ioannes Polletus Cortrac. Theol.
Ioannes Neruius.
Ioannes Saræus.
Ieremias Pierſſenæus.
Ioannes Sindeuindius.
Ioannes Sixtus Epiſcopus.
Ioannes Smoutius.
Ioannes Sullius.
Ioannes Stratius.
Ioannes Straſelius.
Ioannes Syluagius.
Ioannes Syluius.
Ioannes Langhecrucis.
Ioannes de Lahayr.
Ioannes Geldrius.
Ioannes Tinctor.
Ioannes Vendiuillius.
Ioannes Viſcherius.
Iudocus Andries Societ. Ieſu.
Iudocus Brackelius.
Iudocus Corteuilius.
Iudocus Clichtouæus.
Iudocus Deculeo.
Iudocus Hondius.
Iudocus Raneſteyn.
Iudocus Scholardus.
Iudocus ab Aſca.
Iudocus Velaræus.
Iulianus Aurelius.
Iuſtus à Balbiano.
Lambertus à Briarde.

Laurentius Pratanus.
Laurentius Dorperius Abbas.
Laurentius Cuperus Carmelita.
Laurentius Muſchelius Carthuſ.
Leander à S. Martino.
Leo Meyerus.
Leuinus Crucius.
Lotharius Sacriſta.
Ludouicus Berquinus.
Ludouicus de Huuettere.
Ludouicus de Mazures.
Ludouicus du Gardin.
Ludouicus Fidelis.
Ludouicus Makeblyde Soc. Ieſu.
Ludouicus Maſius.
Ludouicus Pileus.
Maria D'Entieres.
Martinus Rythouius.
Martinus Baccius.
Matthaeus à Caſtro.
Matthaeus Galenus.
Matthaeus Kelliſonus.
Matthaeus Pilardus.
Matthaeus Scornaius.
Matthaeus Preſbyter.
Matthias Becquetius.
Matthias Boſſemius.
Matthias Lobelius.
Matthias de Caſtello.
Michael Candelaeus.
Melchior Neipeus.
Michael Franciſci.
Michael Inſulenſis.
Michael D'eſne.
Milo Monachus Elnonenſis.
Nicolaus Baſelius.
Nicolaus Boldius.
Nicolaus Brentius.
Nicolaus Clericus Societ. Ieſu.
Nicolaus de Formanoir.
Nicolaus Grachius.
Nicolaus Iaquerius.
Nicolaus Rebbius.
Nicolaus Tornacenſis.
Nicolaus Trigaultius Societ. Ieſu.
Nicaſius Ellebodius.
Oliuerius Immelotius.
Oliuerius Manardus
Oliuerius Nieulandus, vide Anſelmum.
Paſchaſius Balduinus.
Paſchaſius D'Orangius.
Paſchaſius Iuſtus.
Paſchaſius Zouterus.
Paulus Dumontius.
Paulus Leopardus.
Petrus Aloſtanus.
Petrus à Riuo.
Petrus Bertius.
Petrus Caſtellanus Medicus.
Petrus Colpinius.
Petrus Coretus.
Petrus Curius.
Petrus Bernaerdus.

Petrus Courkius.
Petrus D'Acquetus.
Petrus Dathenus.
Petrus du Boys Societ. Ieſu.
Petrus Flamingus.
Petrus Inſulenſis.
Petrus Lanſelius Societ. Ieſu.
Petrus Legneus.
Petrus Haſſardus.
Petrus Halloſius Societ. Ieſu.
Petrus Mattardus.
Petrus Oudegeerſtius.
Petrus Pantinus.
Petrus de Rota.
Petrus Papæus.
Petrus Pintaflour Epiſcopus Tornacenſis.
Petrus Pomeranus.
Petrus Ponetus Carmelita.
Petrus Meganckus.
Petrus Santouirius.
Petrus Simontius Epiſcopus.
Petrus Syluius ex Hautem.
Petrus Syluius Aloſtanus.
Petrus Tectorinus.
Petrus Theobaldus.
Petrus Vandeclæus.
Petrus Vlerickius.
Petrus Waſtelius Carmelita.
Petrus Zutpenius.
Philippus Dux.
Philippus Broideus.
Petrus Theodorici Comitis filius.
Philippus Abbas S. Amandi.
Philippus de Comines.
Philippus du Trieu Societ. Ieſu.
Philippus Montanus.
Philippus Morus.
Philippus, Ioannes, Franciſcus Torrij Belliolani.
P P. Kerckouius.
Proſper Stellartius.
Raphael Polleius I.C. per Ant. Meyeri Epicedia laudatus.
Richardus Briſtous.
Richardus Hellus varias ſcripſit orationes de quinque partita conſcientia de proprietate Religioſorum.
Richardus Vitus.
Robertus Cameracenſis Epiſcop.
Robertus du Triez.
Robertus Februarius.
Robertus Gaguinus.
Roelandus Segerſtaplius.
Roſiana Teneramundenſis.
Rumoldus Mortierius.
Salomon Faber.
Samuel Quickelbergius.
Seruaſius Tornacenſis.
Sebaſtianus Auguſtus.
Stephanus Epiſcopus Tornacenſis.
Stephanus Stratius.
Simon Caulerius.

Simon.

Simon Tornacenſis.
Sigerus Paulus.
Theodorus Antonius Societatis Ieſu.
Theodoricus Martinus.
Timotheus Hoius.
Thomas de Herentals.
Thomas Diaconus.
Thomas Guarinus.
Thomas Rius.
Thomas Stapletonus.
Thomellus Flander.
Touſanus Muſartius.
Walerandus Caboultius.
Walterus Epiſcopus Magalonenſis.
Walterus Inſulenſis.
Walterus Monachus.
Wilmarus Bernardus.
Wimbertus Tornacenſis.
Zacharias Rothus Societatis Ieſu.

FINIS.

A01-1469381